H. E. FOSS MUETZELLIO SUO S.

Non possum equidem, Mützelli, quamquam scio, te id aegre laturum, quin has litteras a laudibus tuis exordiar. Namque de Curtio scripturus sum, de quo quis hodie agere possit, quin simul te tuaque in eius librum merita maximo opere praedicet? Neque enim modo dicendi rationem eius, qualis sit et quo differat ab aliorum scriptorum oratione, multo accuratius et copiosius, quam solet fieri, illustrasti, sed etiam de omnibus iis, quae plerumque ab editoribus negliguntur et intacta relinquuntur, de tractatione rerum, de temporum rationibus, de locorum regionumque situ et natura, de itineribus, tanta cura tamque subtiliter egisti, ut dubius profecto sim, diligentiamne tuam et doctrinam an ingenii acumen magis admirer. Quid? quod adeo de militaribus rebus, de copiarum numero, de exercituum collocatione doctissime disputas tamque intelligenter Curtii in describendis pugnis negligentiam et incuriam castigas, quasi ipse vir sis militaris. Itaque quum viderem, te nonnulla ex iis, quae ad te, in secunda editione adornanda occupatum, scripseram, tuis apposuisse, laetabar quidem, quod mihi sic videbar quasi in tuae laudis societatem quandam pervenisse, at simul tamen intelligebam, illa mea et augenda esse novis melioribusque, si fieri posset, et argumentis fulcienda, ne indigna loco viderentur, quem iis tribuisses. Nam quae communicaveram tecum, ea subito orta erant: argumenta addideram aut nulla aut quae momento temporis succurrerent: haec neque tu in editione discipulis destinata apponere integra poteras, neque ego, ut faceres, poteram optare.

Quae quum ita essent, quoniam hoc anno officium invitandi ad actum, quem dicunt, oratorium ad me redierat, constituebam apud animum meum hanc ad te mittere epistolam, qua et meum erga te summum amorem publice testificarer et, quae olim ad te scripseram, vel probarem argumentis vel, si opus esset, retractarem vel denique novis quibusdam additamentis amplificarem. Sed quum viderem, ad expli-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

candum scriptorem nihil me conferre posse, quoniam in hoc genere omnibus palmam praeripuisses, ad criticam animum applicandum esse intellexi. Criticam enim etsi haudquaquam neglexisti, non ita tamen profligasti, ut novam recensionem institueres. Noluisti facere, quod nemo te poterat melius. Ita a natura comparatus es, ut summa quaeque semper appetas: quae si consequi te non posse aut vides aut putas certe, plane non adniti, quam non in primis stare mavis. Itaque quum plerique Curtiani libri codices nondum satis accurate excussi sint, Florentinae vero bibliothecae copias Zumptius adhuc premat, huius egregii viri praestantissimam sane editionem sequutus es. Sed quamquam de nova instituenda recensione rectissime mihi videris iudicasse, de singulis tamen locis iam nunc statui posse, et tu re ipsa probasti, qui praesertim in minore editione interdum a Zumptio discesseris, et ego mihi penitus persuasi. imo vero Zumptius ipse haud aliter iudicat, quum se idcirco Curtium sine apparatu edidisse dicat, quia speraverit, fore, ut sententias hominum doctorum de difficilioribus aliquot locis cognosceret. Itaque ego iam delectis quibusdam exemplis demonstrare conabor, quomodo de mea quidem sententia critica in emendando Curtii libro exercenda sit.

Sed antequam ad singula accedo, videtur mihi quasi via munienda et de codicum ratione, quantum quidem eam novimus, paucis dicendum esse. Nolo autem, tuam sequutus rationem, copiosius quaerere de duplici codicum genere, sive illos cum Zumptio interpolatos et non interpolatos, sive cum Orellio Gallicanos et Italicos appellare placet. De hac re tum demum certo statui poterit, quum plures accurate excussi erunt. Neque tamen infitiari possum, me illud tibi valde assentiri, quod abs te dictum est, duas codicum classes plane diversas, alteram interpolatorum, alteram non interpolatorum, statui non posse, sed, quamvis aliis alii longe meliores sint, omnes tamen, etiam optimos, iisdem fere vitiis laborare. Gravissimum autem vitium, quo omnes occupantur, non modo ii, unde vulgares ante Zumptium editiones profectae sunt, sed etiam optimi illi, Bong. Flor. Leid. Voss. 1., quos Zumptius potissimum sequitur, lacunae sunt. Et primum quidem in omnibus codicibus editionibusque lacunae hae inveniuntur, ex parte a Freinshemio aliisque editoribus expletae.

Lib. I. et II. interierunt. — **4**, **5** (**1** ed. Freinsh.), **31**. post *positis*. — **4**, **13** (**3**), **11**. *classem* om. vera enim lectio *navium classem*. — **4**, **28** (**6** ed. Freinsh.), **26**. lacuna a Freinshemio expleta. — **5**, **5** (**1**), **34**. *pedes* recte abs te interponitur. — **5**, **7** (**2**), **6**. *tradita* om. de coniectura nunc additum. — **5**, **10** (**3**), **9**. post *admonens*. — **5**, **27** (**9**), **10**. ante *deprecarentur*. — **5**, **38** (**1**), **25**. deest finis libri V. — **6**, **1**, **1**. deest initium libri VI. — **6**, **22** (**6**), **24**.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

post *rupes*. — 7, 11 (3), 2. post *Graecorum peditum*. — 7, 16 (4), 9. post *periculum*. — 7, 27 (6), 9. lacuna praeclare abs te expleta. — 7, 37 (9), 14. post *reliquum*. — 8, 18 (5), 9. deest *Persae* vel *barbari*. — 8, 19 (3), 18. post *discere* deest *a Persis* vel *a victis* vel simile. — 8, 26 (8), 2. Zumptius addit *audivi, sed ut*, tu paullo melius *audivi, sed ut vos*. — 8, 30 (9), 7. *Hydaspen* om. — 9, 34 (10), 1. post *permittere*. — 10, 41 (11), 24. *speciem* optime addidisti. — 10, 2 (1), 16. post *Euphratis* Zumptius *ostia* addit, alii *os*. — 10, 6 (1), 45. lacunam Freinshemius explevit. — 10, 7 (2), 6. *libertatis* Modius de coniectura addidit. — 10, 11 (3), 1. et 10, 12 (3), 14. et 10, 13 (4), 3. lacunae a Freinshemio expletae.

Nonnullas autem omisi, de quibus infra disputaturus sum. Deinde in codicibus bonis vel optimis omittuntur haec, quae in vulgaribus editionibus codicibusque exstant, quae adeo vel necessaria vel bona sunt, ut ipse Zumptius, qui tamen illos codices sequi solet, ea non potuerit quin interponeret.

3, 5 (2), 18. *tam* in Mer. Mod. Leid. — 3, 16 (6) 19. *in re*. B. 1. — 3, 18 (7), 15. *est* Bong. Voss. 2. — 3, 21 (8), 17. *in* Bong. Pal. 1. Leid. Voss. 1. 2. — 3, 21 (8), 25. *incesserat* Bong. Leid. Voss. 1. 2. Parr. — 3, 29 (11), 27. *c.* pro *caesa sunt* Leid. — *milia* B. 2. Flor. Leid. Voss. 1. — 3, 30 (12), 2. *impigre* Voss. 2. — 3, 35 (13), 14. *expers* D. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 3, 35 (13), 15. *et* D. — 4, 1, 2. *rex* Mer. Pal. 1. Leid. Voss. 1. — 4, 3 (1), 15. *ipse* Mer. D. Bong. Pal. 1. Voss. 1. 2. — 4, 3 (1), 16. *eo* Parr. F. P. D. Pal. 1. — 4, 4 (1), 22. *status* Mer. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. (in Voss. 2. post *propter quem* ponitur). — 4, 7 (2), 6. *amici* Mod. D. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. Parr. (Z. cancellis circumdedit). — 4, 11 (2), 21. *paulum* (s. *paululum*) Flor. Leid. — 4, 14 (3), 13. *undique* Flor. — 4, 21 (5), 1. *se fore* Mer. Ald. D. Pal. 1. Leid. Voss. 1. 2. Paris. — 4, 21 (5), 3. *affectu* Flor. Leid. Voss. 1. — 4, 21 (5), 8. *suo* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 4, 31 (7), 18. *in* Mod. Voss. 1. — 4, 31 (7), 22. *et* (s. *etiam*) Mod. Voss. 1. — 4, 31 (7), 23. *quod* Bong. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. 2. (in Voss. 2. ponitur post *colitur*). — 4, 32 (7), 28. *acceptum fore Jovi vates respondet* B. 2. Voss. 1. — 4, 39 (10), 1. *iter* Mod. Flor. Voss. 1. 2. (in Pal. 1. Leid. post *iussit*). — 4, 40 (10), 17. *non* Mer. Ald. Flor. Leid. Voss. 1. 2. D. — 4, 42 (10), 29. *restitueres* Bong. D. Flor. (D. in margine; B. 1. in margine *redderes*). — 4, 43 (11), 9. *est* Bong. Flor. Leid. Pal. 1. — 4, 45 (12), 10. *quinquaginta* Mod. Bong. Voss. 2. — 4, 45 (12), 13. *milia* in omnibus codd. — 4, 46 (12), 18. *qui* Mer. Bong. D. Pal. 1. Flor. Voss. 1. 2. — 4, 52 (14), 2. *iam*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Voss. 1. — 4, 56 (15), 1. *et* Voss. 2. — *laevum* Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. 2. Paris. (sequutus est Z.). — *agmen.* B. 1. Mod. — 4, 56 (15), 2. *a* Bong. Pal. 1. D. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 4, 56 (15), 6. *ad regem* Bong. D. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. (Z. cancellis inclusit, quos recte delevisti). — 4, 56 (15), 10. *qui* Bong. D. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 4, 60 (16), 1. *quod* Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 2 (1), 12. *solo* Bong. Flor. Leid. Voss. 1. — 5, 6 (1), 38. *habitus sit* Flor. Voss. 1. — 5, 7 (2), 7. *observabatur* Flor. Leid. — 5, 9 (2), 17. *Darei* Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 12 (3), 17. *et undique* Bong. — *et* Flor. Leid. — 5, 12 (3), 20. *correpta et* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 12 (3), 21. *ergo* Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. — 5, 18 (5), 13. *membra* Flor. Leid. Voss. 1. — *ubi horribiles cicatrices celet exilium* Mod Flor. Leid. Voss. 1. Parr. — 5, 25 (8), 13. *possit* B. 1. 2. Flor. Leid. Voss. 1. — *nec* Flor. Leid. Voss. 1. (pro eo *ne* in P. B. 1. 2. Pal. 1. Voss. 2. Ald. Mer.). — 5, 26 (9), 5. *bellum* Mer. Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 26 (9), 8. *statuamus* Bong. Flor. Leid. Voss. 1. — 5, 31 (11), 10. *equidem aeterna constitutione crediderim* D. Pal. 1. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 36 (13), 11. *palantes* Pal. 1. Voss. 2. — 6, 6 (2), 16. *in* Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 6, 6 (2), 17. *dono dederat* Bong. D. Flor. Leid. Voss. 1. 2. (Pal. 1., quem Z. sequitur, *data*). — 6, 10 (4), 3. *campestri itinere* Pal. 1. — 6, 11 (4), 11. *quae coegisset necessitas* D. Pal. 1. Bong. Voss. 1. 2. Flor. Leid. Praeterea *quam* Bong. Voss. 1. 2. *quamque* Flor. Leid. — 6, 21 (6), 10. *pretium* Mer. Pal. 1. D. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 6, 22 (6), 21. *ad* codd. Mod. Bong. Leid. Voss. 1. — *itinere* Voss. 2. — 6, 24 (6), 36. *pervenit* D. Pal. 1. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. (Z. uncis circumdedit). — 6, 26 (7), 23. *ei* Mod. Flor. Leid. Voss. 1. — 6, 31 (8), 17. *ad* D. Pal. 1. 2. Flor. Leid. Voss. 2. — 6, 35 (9), 28. *neminem* Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 6, 36 (9), 31. *reo* Flor. Leid. Voss. 1. — 6, 41 (11), 3. *supra* Voss. 2. — 6, 43 (11), 24. *amisimus regem.* D. Pal. 1. 3. Bong. Grut. — 6, 43 (11), 25. *fecimus* D. Pal. 1. Bong. (praeter B.). Voss. 2. Parr. — 6, 43 (11), 33. *cuius* Pal. 1. — 7, 5 (1), 38. *tuum* Voss. 1. — 7, 7 (2), 15. *famae* Bong. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 2. (Z. cancellis circumdedit). — 7, 12 (3), 10. *nix* (s. *nive*) Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 7, 17 (4), 22. *ad* Flor. — 7, 23 (5), 29. *externo* Voss. 2. — 7, 24 (5), 40. *et* (s. *at*) Voss. 2. — 7, 26 (6), 11. *pares* D. P. F. B. 2. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 7, 29 (7), 3. *situ ab Oriente* Voss. 2. — 7, 31 (7), 28. *remisit. Sibi enim* Mer. Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 7, 33 (8), 11. *sunt* Voss. 2. — 8, 17 (5), 5. *ratus* omnes codd. praeter Flor. — 8, 21 (6), 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

post B. 1. Mer. D. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 8, 23 (6), 22. *e duobus alterius* Bong. Voss. 2. — 8, 23 (6), 23. *quae decederet* Voss. 2. — 8, 23 (6), 26. *protinus* Voss. 2. — 8, 25 (7), 8. *at* (s. *et*) Voss. 2. — 8, 28 (8), 19. *in me* D. Pal. 1. — *modo audisti* Voss. 2. Mod. — 8, 30 (9), 13. *caussa mare certe quo* Voss. 2. — 8, 33 (9), 31. *est* F. B. 2. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 9, 2 (1), 8. *Poro* Flor. (Leid. *Por.*). — 9, 5 (1), 30. *et* Mer. D. Flor. Leid. Voss. 1. — 9, 11 (2), 31. *in vos* Pal. 1. — 9, 15 (4), 11. *omnium* Mod. Pal. 1. Voss. 2. — 9, 22 (5), 25. *manus* Flor. Leid. Voss. 1. 2. Mer. Ald. Mod. — 9, 27 (7), 7. *est* Flor. Leid. Voss. 1. — 9, 27 (7), 8. *milites* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. Parr. — 9, 30 (8), 1. *equi* Flor. Leid. — 9, 30 (8), 7. *et* Leid. Voss. 2. Mer. Ald. — 10, 7 (2), 3. *ei* Bong. D. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 10, 8 (2), 8. *obstare* Mer. D. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — *quas* Mer. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. — 10, 11 (3), 5. *se* Mod. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 10, 12 (3), 11. *in* Voss. 2. — 10, 16 (5), 15. *e* Pal. 1. D. Flor. Leid. Voss. 1. — 10, 16 (5), 17. *cum* Pal. 1. D. Flor. Leid. Voss. 2. Ald. Mer. — 10, 22 (7), 6. *regnare* Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2.

Deinde vero alia in iisdem codicibus omissa sunt, quae Zumptius quidem, illos sequutus, eiecit, quae tamen sine dubio recipienda sunt: pleraque tu iam acutissime ostendisti et diiudicasti. Sunt autem fere haec:

3, 4 (2), 4. *milia* D. F. B. 2. Leid. Voss. 1. — 3, 4 (2), 9. *sunt* Mod. Bong. Leid. Voss. 1. 2. — 3, 7 (3), 16. *gerebat effigiem* D. Leid. A. C. ap. Or. Pal. 2. — 3, 9 (4), 1. *exercitum* D. Pal. 1. 2. Leid. Voss. — 3, 30 (12), 4. *mulieribus* Flor. Leid. Voss. 1. 2. Mod. — 3, 32 (12), 26. *deinde* Bong. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 3, 33 (13), 1. *is* Mer. Bong. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 3, 34 (13), 7. *frigus* Cl. P. F. B. 1. 2. Flor. Leid. Voss. 1. 2. Pal. 1. — 3, 35 (13), 12. *tres* P. Flor. Leid. Voss. 1. — 3, 35 (13), 15. *quoque* Bong. D. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 4, 2 (1), 11. *rex* Mod. Bong. 2. Flor. Leid. Voss. 1. 2. Parr. — 4, 12 (3), 6. *se* Mer. Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. Paris. — 4, 28 (6), 26. *tormentorum* Bong. D. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 4, 28 (6), 31. *proeliis* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — *tamen* Mod. B. 1. 2. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. — 4, 35 (9), 1. *ab* Mer. Mod. — 4, 41 (10), 20. *suae* Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 4, 45 (12), 6. *milia* Bong. Flor. Leid. Voss. 2. — 4, 48 (13), 13. *deos* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 4, 57 (15), 18. *missi* Mod. Bong Flor. Leid. Voss. 1. — 4, 60 (16), 1. *est* D. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 1, 1. *in* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 1, 2. *tempore* Mod. Flor. Leid. Voss.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1. — *ante* Mod. Bong. Flor. Leid. — 5, 3 (1), 22. *patrium* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. Parr. — 5, 13 (4), 2. *tum* Leid. — 5, 17 (5), 4. *direptis ac* Mod. Bong. Codd. Snak. — 5, 31 (11), 10. *ac* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 6, 23 (6), 32. *se* (ante *obtulerunt)* D. Flor. Leid. Voss. 1. — 7, 16 (4), 19. *e* D. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. Mer. Ald. — 7, 21 (5), 16. *sequebantur* D. Bong. Flor. Voss. 1. (Leid. Voss. 2. *ducebant).* — 7, 39 (10), 9. *in* Flor. Leid. Voss. 1. Mer. Ald. — 7, 42 (11), 19. *est* Mod. Voss. 2. — 8, 41 (12), 3. *regis* Mod. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 8, 48 (14), 18. *in* Bong. Leid. Voss. 1. — 9, 3 (1), 18. *et* Mer. Bong. Pal. 1. D. Voss. 1. — 9, 25 (6), 20. *a* Mod. Voss. 2. — 9, 39 (10), 5. *regionem* Mer. Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 9, 41 (10), 17. *quoque* Flor. Leid. Voss. 1. Mer. Ald. —

Contra etiam in vulgaribus editionibus codicibusque iis, unde illae profectae sunt, multa desunt, quae ex bonis codicibus Zumptius recte recepit. Apponam ea tantummodo, quae in libro III. et V. inveniuntur.

3, 1, 2. *moenia* Mer. Ald. Parr. Mod. Leid. Voss. 1. 2. — 3, 5 (2), 15. *parant* D. B. 1. Pall. o. Colon. ap. Mod. Leid. Voss. 2. Par. A. C. ap. Or. p. 53. Mer. Ald. — 3, 5 (2), 17. *quum* Mod. Leid. F. B. 1. 2. — 3, 17 (7), 3. *quippe* Mod. D. Leid. Voss. 1. — 3, 23 (9), 5. *ultra eos* Mer. Mod. Leid. Voss. 1. 2. Parr. — 3, 24 (9), 10. *acies* Mod. Bong. Voss. 1. 2. Parr. — 3, 25 (10), 5. *provincias* cod. vet. ap. Mod. Bong. Leid. Voss. 1. 2. — 3, 25 (10), 6. *in* Mod. Bong. Leid. Voss. 1. 2. — 3, 29 (11), 26. *in* Mer. Voss. 2. D. Pal. 1. — 3, 30 (12), 2. *demum* Mod. Flor. Leid. Voss. 1. — 5, 1, 5. *sui* D. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. — 5, 1, 6. *rebus* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 6 (1), 38. *habitus* Mer. Ald. Bong. Leid. Voss. 2. — 5, 6 (1), 45. *tradita* Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. Parr. Codd. Mod. — 5, 8 (2), 8. *ei* Bong. (Voss. 1. Flor. Leid. *et.)* — *sua.* Mod. Flor. Leid. Voss. 1. — 5, 10 (3), 1. *Tigrin* Ald. Flor. Leid. Voss. 1. 2. (Parr. *Tygrim.* D. *Tygim).* — 5, 11 (3), 12. *quoque* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. — *eius* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. Parr. — 5, 11 (3), 13. *non* Mer. Ald. D. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 18 (5), 10. *etiam* Mod. Flor. Leid. (Voss. 2. *et.)* — 5, 23 (7), 9. *tam* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 24 (8), 5. *que* P. B. 2. Flor. Leid. Voss. 1. — 5, 27 (9), 10. *eum* Mod. Flor. Leid. Voss. 1. — 5, 35 (13), 3. *affirmabat* D. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. 2. — 5, 37 (13), 15. *vero* Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ceterum, ne quis negligentiae me incuset, in his eligendis tua editione usus sum eamque ob caussam tantummodo gravissima quaeque apposui. ex Snakenburgii editione poteram multo plura conquirere, quae minoris sunt momenti et in singulis tantum codicibus omissa: sed nolebam.

His ita collectis et in unum quasi conspectum datis quum apertissimum sit, commune omnium Curtiani libri codicum vitium lacunas esse, Zumptius a vero aberrasse videtur, quod multa nulla alia de caussa omisit, quam quia in bonis illis codicibus, quos supra nominavi, non reperiuntur, quum aut aeque bene aut melius adeo retineantur, quam eiiciantur: ex quo genere est, quod saepe subiecta enunciationum *is, rex, Alexander,* quae in vulgaribus editionibus addita sunt, apud Zumptium desiderantur. Vide enim, quam rationem Zumptius sequatur. Quoties in codicibus illis verba prorsus necessaria, quae deesse plane non possunt, omittuntur, id quod saepissime fit, non sequitur eos. quoties vero verba, in aliis codicibus reperta, quae bene quidem addi possunt, sed tamen non prorsus necessaria sunt, ab illis absunt, sequitur eos. Statuit igitur, non casu haec intercidisse, sed in codicibus, quos ideo interpolatos dicit, a librariis male addita esse. At verba necessaria tamen statuere debet casu intercidisse. Jam quis sibi persuadeat, saepissime quidem effecisse casum, ut verba necessaria, imo vero interdum magna frusta interciderent, eundem casum effecisse praeterea, ut in minus bonis codicibus, quibus vulgares editiones nituntur, multa interciderent; eundem autem casum nunquam effecisse, ut verba non plane necessaria interciderent. Eiusmodi autem verba, quae non prorsus necessaria sunt, sed integra sententia omitti possunt, apud omnes scriptores etiam optimos et brevitatis studiosissimos plurima profecto exstant, neque ideo omittenda sunt.

Quae quum ita sint, ego potius censeo, etiam illa verba, siquidem in aliis codicibus reperiantur, casu intercidisse et eadem de iis ratione, qua de ceteris omnibus, recipienda an omittenda sint, iudicandum esse. Dixi, casu factum esse, ut interciderent. dicendum fortasse erat, certe de multis, errore. Ego enim ad eorum inclino sententiam, qui omnes Curtii codices, qui nunc exstant, putant ex uno codice profectos esse, mutilato quidem illo et ipso, ceteroquin tamen optimo, tam male autem tantoque compendio scripto, ut aegre legeretur. Ex hoc iam duo vel fortasse etiam plures alii codices a diversis hominibus descripti sunt, a quibus omnes ii profecti sunt, qui hodie exstant. Ita intelligitur, qui factum sit, ut in magna omnium similitudine certe duae tamen quasi classes discerni possint, et in omnibus quidem multa, neque tamen eadem in omnibus desint. Multa quum in primo illo codice librarii non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

intelligerent, aut omiserunt aut ita scripserunt, ut scribenda esse putarunt. Ita errores orti sunt, quos posteriores librarii, quum corrigere vellent, saepe auxerunt. ubi omissa verba erant, aut emendare studuerunt reliqua, aut, si sentiebant lacunam, expleverunt. quibus infelicissime interdum conatus cessisse, quis miretur? Saepe etiam, qua significatione verbum esse aliquod oporteret, recte intellexerunt, sed, quum ipsum legere non possent, synonymum posuerunt. Haec ne quis putet inania et temere a me coniecta esse, iam paucis probanda erunt. Dixi primum, codicem primarium illum male et magno compendio scriptum fuisse. Hoc quidem innumerabilibus exemplis ostendi potest. Neque enim modo tota verba, sed multo etiam saepius et in quavis fere pagina litterae et syllabae tum in mediis verbis tum in extremis interciderunt, et maxime quidem id in nominibus propriis accidit. Nam, si exceperis vulgatissima nomina, vix ullum reperiatur, in quo non varie a librariis erratum sit. Etenim vulgaria vocabula librarii litterarum non plane rudes facilius, quae essent, suspicari poterant, in plane ignotis litterarum ductus, quam poterant, depingebant. Deinde vero multa vocabula in partes duas vel adeo plures divulsa, alia in unum coniuncta sunt. Haec iam paucis exemplis ex magno numero electis probabo, quibus simul apparebit, quam anxie interdum librarii vera assequi studuerint.

3, 4 (2), 17. *Derbices* divisum in duas partes *Der - bices.* inde *idem* (s. *iidem*) *vicies.* — ibid. *aere aut* in codd. mutatum in *haerebant.* — **3, 7 (3), 16.** *alterum Nini, alterum Beli — alter* (s. *alterum*) *in alterutrum belli.* — **4, 23 (5), 14.** *recepta et Chium — receptaculum.* — **4, 6 (1), 40.** *Spartanorum — Parianorum — Arrianorum.* — **4, 22 (5), 9.** *bello - interfuturus — ab illo - iter facturus* (s. *futuris*). — **4, 33 (8), 5.** *Cleomenes — Clemens.* — **4, 34 (8), 15.** *Spartanorum.* B. **1.** Pal. **1.** *Sparthanorum.* B. **2.** Flor. Leid. Voss. **1.** *Parthanorum.* D. *Parthenorum.* Mer. Ald. *Parthorum.* Voss. **2.** *Pirathorum.* — **4, 45 (12), 4.** *cum citis — concitis.* Voss. **2.** *conscitis.* Leid. F. *cum Scitis.* D. P. Mod. *cum Scythis.* B. **1.** *cum scutis.* — **6, 44 (11), 35.** *eo Demetrius — eodem et prius.* — **7, 11 (3), 2.** *Arios — alios — Aulicos — Arieos.* — **7, 27 (6), 21.** *deleri.* Voss. **2.** *dilere.* inde in aliis *delete, delectae, dilectos.* — **9, 27 (7), 1.** *Circa Bactra — Garabactra.* — **9, 39 (10), 7.** *in eam Arachosii — in Amarachosii — Marachosii.*

Pro omissis vel male intellectis verbis alia, praesertim synonyma, male addita esse, ex his apparebit: nihil autem nisi verba ipsa inter se mutata adscribam, omissis codicum notis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

3, 2 (1), 15. *iugum — vehiculum.* — 3, 7 (3), 16. *pinnas — pennas — plumas.* — 3, 25 (10), 3. *bellum — proelium.* — 3, 25 (10), 8. *postulantium — poscentium.* — 3, 30 (12), 7. *renovaret — gravaret — augeret.* — 3, 30 (12), 10. *introduceret — intromitteret.* — 3, 35 (13), 12. *fortuna — natura.* — 4, 11 (2), 24. *adorti — aggressi.* — 4, 17 (4), 1. et 5, 24 (8), 2. *velocitate — celeritate.* — 4, 27 (6), 19. *longius — latius.* — 4, 40 (10), 10. *moratores — speculatores.* — 4, 42 (10), 27. *tristiora — graviora.* — 4, 42 (10), 29. *restitueres — redderes.* — 4, 45 (12), 10. *appellant — vocant.* — 4, 46 (12), 16. *terroris — timoris.* — 4, 51 (13), 34. *ultimam — mediam.* — 4, 58 (15), 22. *equitibus — militibus.* — 4, 62 (16), 16. *impetu — cursu.* — 5, 6 (1), 36. *cupiditates — voluptates.* — 5, 13 (4), 3. *deserere — dimittere.* — 5, 13 (4), 8. *alveo — amne.* — 5, 30 (11), 5. *terras — sedes.* — 6, 26 (7), 18. *sine dilatione — sine cunctatione.* — 7, 2 (1), 13. *de Philota quaereretur — Philotas torqueretur.* — 7, 21 (5), 16. *sequebantur — ducebant.* — 7, 38 (9), 17. *imperata — mandata.* — 7, 39 (10), 4. *modo — more.* — 8, 17 (5), 8. *adulator — assentator.* — 8, 46 (13), 23. *ventis — ripis.* — 9, 11 (3), 2. *igitur — ergo.* — 9, 22 (5), 22. *sagittae — hastae.* — 9, 24 (6), 14. *pericula — bella.* — 10, 9 (2), 15. *metuo — timeo.*

Ubi omissa verba vel syllabae erant, reliqua a librariis infelici eventu correcta esse, et sic omissionem ipsam novi erroris originem fuisse, his docebitur exemplis.

3, 25 (10), 8. *deditis. ab his.* quum intercidisset *is* syllaba, *dedit* et *ab* coniuncta sunt et haec orta lectio: *dedita eis.* — 3, 5 (2), 15. *occupati parant.* alterum om. et *occupati* mutatum in *occupant.* — 3, 30 (12), 10. *impigre sese. pi* excidit, inde ortae scripturae *ingresse se — ingressae se.* in Voss. 1. sic transposita sunt: *sese ingre.* — 4, 13 (3), 11. *navium classem.* intercidit *classem*, inde D. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. *navigium.* — 4, 49 (13), 23. *quod solutum se curis somnum cepisse dixisset.* exciderunt *solutum* et *dixisset.* reliqua sic correcta: *quod securus somnum cepisset.* — 6, 8 (3), 10. *suis quisque.* in plerisque codd. om. *quis*, inde in Pal. *Syrisque.* — 6, 39 (10), 21. *quo periturus eram.* intercidit *qu*, itaque Flor. Leid. Voss. 2. *operiturus.* inde D. Bong. Voss. 1. *opperiturus eram.* Mer. Ald. *quid opperiturus eram.* — 9, 5 (1), 25. *insignes.* excidit *in*, inde *segnes.*

Ita quum lacunae et errores ex omissione verborum atque compendiis male intellectis orti frequentissimi sint, rarissima contra sunt additamenta, explicationis caussa adiecta,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deinde in verborum cohaerentiam recepta. quae exstant additamenta, ea plerumque ita comparata sunt, ut originem corruptelae facile agnoscas. Sunt autem fere haec.

3, 14 (6), 6. *ergo.* Codd. Freinsh. et Snak (?). Mod. — *non.* Voss. **2.** Mer. Ald. — **3, 28 (11), 22.** *castra* in omn. codd. Iam Freinsh. de coni. om. — **4, 4 (1), 22.** *vestis* (explicatur hac voce *habitus*, quia modo antecedit *vestis*) Bong. D. Pal. **1.** Flor. Leid. Voss. **1. 2.** — **4, 21 (5), 5.** *in* (quia sequitur *m.)*. Flor. Leid. Voss. **1. 2.** Mer. Ald. Mod. — **4, 21 (5), 8.** *ignorare* Mer. Ald. Pal. **1.** — **4, 40 (10), 16.** *aut* Bong. Flor. Leid. Voss. **1. 2.** — **4, 44 (11), 16. 17. 22. 23.** plura ex Iustini libris sumpta putantur. — **4, 44 (11), 19.** *nempe obliti estis* D. Flor. Leid. Voss. **2.** Paris. — **4, 46 (12), 21.** nonnulla Iustini addita putantur. — **4, 58 (15), 22.** *et* (quia sequitur *ab*) Mer. Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. **1. 2.** — **4, 62 (16), 18.** *ne.* Bong. Pal. **1.** D. Flor. Leid. Voss. **1. 2.** — *inde* Mer. Ald. Voss. **2.** (quia antecedit *m.)*. — **6, 5 (2), 8.** *neptem Ochi* (repetita ex antecedentibus) D. Pal. **1.** Flor. Leid. Voss. **1. 2.** — **6, 33 (9), 7.** *in* D. Bong. Pal. **3.** Flor. Leid. Voss. **1. 2.** Bong. Grut. — **6, 43 (11), 32.** *tantus* (proxime antecedunt *tanti, tantae)*. Bong. D. Pal. **1. 3.** Flor. Leid. Voss. **1. 2.** — **7, 17 (4), 22.** *quoque* (ortum ex sequenti *prope)*. F. B. **2.** Flor. Leid. Voss. **1. 2.** — **7, 23 (5), 28.** *Tum Bessus perducitur* in omnibus codd. — **7, 27 (6), 22.** *in* (quia sequitur *ingemuit)* Flor. Leid. Voss. **1.** — **8, 1, 9.** *regum* (est sequens *regem*, alieno loco positum). Flor. Leid. Voss. **1.** — **9, 3 (1), 15.** *aliis* (quia saepius ibi repetitur) P. Voss. **1.** — **10, 16 (5), 17.** *ut* D. Bong. Flor. Leid. Voss. **1. 2.** — **10, 31 (10), 11.** *traditum magis quam creditum refert* D. Flor. Leid. Voss. **1.** B. **2.** (haec sane e margine recepta). — Alia omisi, partim quia non magni momenti sunt et in singulis tantum codd. reperiuntur, partim quia mendum subest coniectura tollendum. ita **4, 23 (5), 13.** *Balacrus Hydarne Darei praetore superato Miletum cepit.* Voss. **1.** *II. duos miletum.* B. **1.** *II. miletum.* Flor. Leid. *II. duos militum.* B. **2.** *II. militum.* F. D. *duos militum.* Par. *duas militum.* Mer. codd. Mod. Voss. **2.** Par. *duo milia militum.* Scribendum videtur: *biduo Miletum cepit.*

Ex his, quae adhuc exposui, iam sponte propemodum, ut opinor, apparet, iis, qui in emendandis Curtii verbis recte versari velint, haec quattuor praecepta accurate servanda esse.

I. Ex eo, quod in bonis vel optimis codicibus verbum aliquod omissum est, non licet statim colligere, falsum illud et eiiciendum esse: imo vero, nisi aliae obstant caussae, retinendum illud.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II. Contra, quae in vulgaribus editionibus non inveniuntur, in bonis codicibus autem adsunt, ea multo potius emendanda et explicanda, quam eiicienda sunt.

III. In locis corruptis rectius plerumque statuitur, syllabam vel verbum intercidisse, quam eadem a librariis addita esse. in coniecturis capiendis igitur rationi magis consentaneum est addere, quam omittere. Ita tu rectissime aliquot locis lacunas statuisti: ut **3, 25 (10), 2. 4, 23 (5), 16. 4, 48 (13), 15. 5, 25 (8), 14.**

IV. Quum pleraque in codicibus menda ex erroribus et male intellectis scripturae compendiis orta esse videantur, in emendandis corruptelis quam proxime ad litterarum ductus, qui quidem in codicibus inveniuntur, accedendum est.

Accedam iam ad singula et primum quidem de additamentis nonnullis agam, quae in bonis codd. exstant, in editionibus autem aut plane neglecta aut non recte emendata sunt.

3, 6 (3), 5. *Quidam vera augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa fulgorem Alexandro portendere: quem regnum Asiae occupaturum esse, haud ambigere, quoniam in eodem habitu Dareus fuisset, quum appellatus esset rex.*

Duplex in his difficultas est, altera minor, quae in voce *vera* posita est, altera maior, quae in verbis *quem — ambigere* cernitur. *Vera,* quod apud Zumptium est, unde ductum sit, non constat; *contra,* quod in vulgaribus editionibus est, falsum quidem, paullo propius tamen ad id accedit, quod in Mer. Ald. Mod. Voss. **2.** C. ap. Orellium reperitur, *non ita.* Hic statim videre licet rationem codicum. nam, quum iam illa scriptura *non ita* integra non sit, in Bong. A. ap. Or. Leid. Voss. **1.** praeterea etiam *ita,* in Pal. **1.** *non* omissum est. Quod tu autem coniecisti, *non irrita,* id, quamvis ingeniose et accommodate ad codicum rationem inventum, duplici tamen de causa mihi reiiciendum esse videtur: et primum quidem, quod verisimile mihi non est, Curtium veritatem eorum, quae vates augurati sint, commemorasse. Dixerat modo, varia interpretatione vates curam Darii distrinxisse, addiditque statim, ut, quam varia interpretatio fuerit, exponat, alios laetum id regi somnum esse dixisse. Itaque, quum his iam alios vates opponat, quid illi possunt quam tristia augurati esse? Deinde vero *irritum* non videtur mihi unquam plane idem esse quod *falsum.* Apud Ciceronem enim legg. **2, 8, 21.** significat *non ratum,* sicut, quod apponitur, *infectum* i. q. *non factum.* Apud Plinium N. H. **30, 2, 6.** *magice irrita* est, *quae fructum vel utilitatem non habet.* Itaque ego quidem *laeta* post *ita* interponendum esse puto. In sequentibus mirum profecto, quod coniectura, vetus quidem, at coniectura tamen, tam diu ab editoribus tolerata est, quum tam longe ab iis, quae in codd. sunt, recedat. Reperitur enim in codd. A. C. ap.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Or. Parr. Bong. Pal. 1. 2. Leid. Voss. 1. *quodve regnum Asiae occupare habuisset, haud ambiguae rei,* in Voss. 2. *quemve regnum Asiae occupare habuisse, haud ambigue rei,* apud Mer. Ald. *quae regnum Asiae occupare habuissent: haud ambiguae rei.* Ex his apparet, *occupare* et *ambiguae rei,* quum in omnibus libris sint, retinenda esse. Neque vero genitivum *ambiguae rei* ita explicari posse puto, ut tu cum Scheffero explicare videris, qui *habere quid rei haud ambiguae* idem esse dicit, quod *rem minime ambiguam.* Nam, quum ad huius generis genitivum *res* addendum sit, manifestum est, dici non posse *res est haud ambiguae rei.* Iam vero haud ambigua res aut ea est, quae quomodo explicetur ambiguum non est, aut ea, quae quin eventum habitura sit dubitari nequit. Ergo h. l. primum haud ambigua res vocari potest, quod vulgari habitu Alexander fuerat. Hoc si statuimus, ego quidem coniecturam difficillimam fore arbitror. Deinde vero haud ambigua res vocari potest, quod Alexander Asiam occupaturus erat: idque verum puto. Sic enim omnia scribo: *Quidam haud ita [laeta] augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa fulgorem Alexandro portendere, quod ei regnum Asiae occupare datum esset, haud ambiguae rei, quoniam — rex.* Genitivus *haud ambiguae rei* regitur accusativo *fulgorem* et appositus est ad verba *quod ei — datum esset,* quae ipsa vicem genitivi obtinent. Nam nisi *datum esset* adiecisset Curtius, genitivo uti potuisset *occupandae* vel *occupatae Asiae:* ut Tac. ann. 1, 44. *specie defendendae provinciae.* Curt. 5, 12 (3), 21. *pudor temere in illas angustias eiecti exercitus.* Tac. ann. 3, 21. et 12, 31. *servati civis decus.* cf. Curt. 4, 60 (16), 4. 5, 31 (11), 9. Tac. ann. 2, 25. 4, 26. 14, 22. 15, 10. 15, 12. Constructio simplicissima esset, si ita collocata verba essent: *fulgorem haud ambiguae rei, quod ei — datum esset:* ita autem non poterant collocari, quia, quae sequuntur *quoniam — rex,* accurate copulanda erant cum genitivis illis *haud ambiguae rei.* Ceterum *dari* saepe apud argenteae aetatis scriptores cum infinitivo iungitur. Tacit. ann. 3, 67. *neque refellere aut eludere dabatur.* 4, 6. *dabatur primoribus disserere.* 4, 60. *quum deferrent neque Neroni defendere daretur.* 6, 19. *ne visere quidem diutius dabatur.* 12, 11. *datum post haec C. Cassio — deducere iuvenem ripam ad Euphratis.* 12, 23. *iis, qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datum.*

3, 27 (11), 15. *Equi pariter equitesque Persarum serie laminarum graves, agmen, quod celeritate maxime constat, aegre moliebantur.*

Quae in D. Cl. F. B. 1. 2. Flor. Leid. Voss. 1. 2. et fortasse etiam in Parr. post *graves* adduntur, *ob id genus,* ea Modius et sequuti eum editores, quum apte corrigere non possent,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

omiserunt. Patet autem, haec a librariis non posse addita esse. quis enim et quo consilio talia addiderit? sunt sine dubio a Curtio profecta atque tam integra, ut ne minima quidem mutatione opus sit, modo post *graves* collocentur. tenendum est enim, quod et supra iam vidimus et infra saepius patebit, verba in aliis codd. temere omissa, in aliis interdum alienis locis ascripta esse. Sic **4**, **57** (**15**), **7**. *quidem,* quod in editt. omittitur, in B. **1**. **2**. Voss. **1**. ante *arma,* in D. F. P. Flor. Leid. Voss. **2**. post illam vocem ponitur. **6**, **36** (**9**), **31**. *reo*, quod a Flor. Leid. Voss. **1**. abest, ap. Mer. Ald. ante *potestatem*, ap. Mod. Grut. o. Bong. post hanc vocem collocatum est. **9**, **15** (**4**), **11**. *omnium* in Mod. Pal. **1**. Voss. **2**. omissum, in ceteris omnibus libris male post *maiora* ponitur. Zumptius recte quidem ex Acidalii coniectura in alium locum vocem transposuit, sine idonea caussa autem fidem eius incertam duxit. Verba autem *ob id* coniungenda non sunt cum sequenti voce *genus*, sed ad proxime antecedens adiectivum *graves* referenda, ut significent *quia graves erant:* ut Curt. **4**, **60** (**16**), **7**. *maiore et ob id tutiore circumitu Tigrin superat.* **4**, **62** (**16**), **23**. *avidum certaminis et ob id ipsum incautius in se ruentem.* **8**, **49** (**14**), **19**. *tum humo lubrica et ob id impediente conatum.* cf. Tacit. ann. **3**, **42**. **3**, **75**. Relinquuntur duo accusativi *genus agmen.* Iam facillimum quidem fuerit mutare *agmen* in *agminis,* ut **3**, **25** (**10**), **4**. *agmini* a Zumptio pro vulgato *agmen* ex Mod. Bong. Leid. Voss. **1**. rectissime scriptum est, et **3**, **13** (**5**), **10**. *corpus* et *corporis* in codicibus inter se commutata sunt. Sed, quum tu iam apertissime docueris, *agmen* in *certamen* mutandum esse, sic omnia scribenda sunt: *Equi pariter equitesque Persarum, serie laminarum graves, ob id genus certaminis, quod — constat, aegre moliebantur. Agmen* quomodo oriri potuerit, facile est intellectu. sicut verba *ob id genus,* ita etiam prior pars genitivi *cert* intercidit; iam quum accusativus requireretur, *aminis* mutatum in *agmen. g* interdum vitiose interponitur, ut **8**, **36** (**10**), **14**. ubi *segminum* pro *seminum* in B. **1**. D. scriptum est, unde in aliis *germinum* factum. Ceterum *genus certaminis* his exemplis illustrabitur. Curt. **9**, **3** (**1**), **16**. *insolitum genus pugnae Macedonas terruit,* Caes. b. civ. **1**, **44**. *insuetos huius generis pugnae.* ibid. **1**, **79**. *genus erat hoc pugnae.* Tac. ann. **2**, **21**. *(Germani) genere pugnae et armorum superabantur. Certaminis* tamen h. l. aptius quam *pugnae.* Caes. b. civ. **1**, **79**. *erat in celeritate omne positum certamem.*

3, **33** (**13**), **3**. *Parmenio, asservari eo iusso, litteras aperit, in quis erat scriptum, ut mature Alexander aliquem ex ducibus suis mitteret cum manu exigua. Itaque Mardum datis comitibus ad proditorem remittit.*

Zumptius, sequutus Bong. Flor. Leid. Voss. **1**. **2**. omisit verba *re cognita,* iam a Modio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eiecta; quae autem in iisdem codd. adduntur: *quumque rex tenens ipsum reliquisset,* non recepit. Priora illa non recte omissa esse, tu iam perspexisti. Quid? quod in Bong. Flor. Leid., optimis codicibus, non modo *re cognita* sed etiam *itaque* omittitur. Cur igitur Zumptius, quum illa eiiceret, hoc retinuit? Sed etiam additamentum illud minime spernendum, modo *Syriam* interponatur et *tenens* in *petens* mutetur. *Itaque,* ut fieri in omissionibus solet, in Voss. 1. 2. alieno loco positum est. Itaque sic scribo: *Parmenio — exigua, itaque* (h. e. *et ita) re cognita, quumque rex [Syriam] petens ipsum reliquisset, Mardum — remittit.* Res satis aperta est. Alexander Syriam petens Parmenionem Damascum praemiserat. Parmenio iam litteras ad regem scriptas aperit: sic rem cognoscit: rex ipse, quum absit, decernere non potest, celeritate autem opus est, itaque Parmenio, sibi agendum esse ratus, Mardum remittit. Intelligis iam, multo aptius nunc illud *re cognita* interponi, quam antea: indicat enim caussam, cur Parmenio agendum sibi esse putaverit: *quum (semel) litteris lectis caussam cognosset.* Itaque etiam *quumque* retineri posse neque *que* omittendum esse puto, quum ita construxerit verba Curtius, quasi *quum — cognovisset* antecesserit. Similia apud scriptores argenteae aetatis saepius inveniuntur. Curt. 6, 42 (11), 15. *utpote et damnatus et inimicis torquentibus.* 4, 28 (6), 25. *Betim, egregia edita pugna multisque vulneribus confectum deseruerunt sui.* 7, 8 (2), 21. *qui dum laetatur adventu amici simulque noscendi — avidus.* Tacit. ann. 3, 63. *Quorum copia fessi patres et quia studiis certabatur, consulibus permisere.* Neque tamen adeo difficile fuerit *que* omittere, quum saepius illud male additum in codicibus sit: ut 4, 61 (16), 10. 6, 32 (9), 3. — *petens* in *tenens* male mutatum, ut 8, 23 (6), 23. *decederet* in *detegeret.* 6, 7 (3), 5. *retinentibus* in *renitentibus.* 4, 33 (8), 2. *soli* in *loci.* 6, 16 (5), 16. *duraverant* in *nudaverant.* Melius autem duco *Syriam petens* (ut 3, 9 (4), 1. *Ciliciam petens)* quam *in Syriam tendens,* ut 8, 9 (2), 27. *in Indiam tendentis.* Tac. ann. 1, 39. *ad Germanicum tendentes.*

4, 1, 3. *Onchas deinde pervenit, ubi excepere eum Graecorum quattuor milia, quibuscum ad Euphraten contendit.*

Quibuscum de coniectura a Z. scriptum est, quum in prioribus editionibus aut *quibus* aut *cum quibus* reperiatur, quae quidem etiam ex coniecturis videntur orta esse. Nam in codd. Bong. D. Flor. Voss. 1. Parr. est *iam regius tum,* in Voss. 2. Pal. 1. *iam rex tum.* Si in codd. esset, quod in veteribus editionibus exstat, *quibus,* coniicerem equidem, *iam* in *cum* mutandum et scribendum esse: *quibuscum rex [sta]tim ad Euphraten contendit.* Iam vero nihil ex illis verbis mutandum esse censeo, modo interponatur *exercitus,* quam quidem vocem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

etiam alio loco intercidisse supra vidimus: *Onchas —, ubi excepere eum Graecorum quattuor milia, iam regius [exercitus]. Tum ad Euphraten contendit.* — Amat Curtius varias humanarum rerum vices ostendere, et saepius Darium in summo potestatis fastigio positum cum superato, fugiente, deserto a suis comparat. Itaque paullo ante, huius libri initio, *Dareus*, inquit, *tanti modo exercitus rex — fugiebat*, pauci eum sequebantur, denique excepere quattuor milia Graecorum, iam regius exercitus. praeter hos illo quidem temporis momento non habebat alium. Ita quum haec prioribus illis: *tanti modo exercitus rex*, opposita sint, optime fragilitas et vicissitudo rerum humanarum aperitur.

4, 34 (8), 11. *Tyrannos, inter quos Methymnaeorum Aristonicum et Chrysolaum, popularibus suis tradidit, quos illi ob iniurias tortos necaverunt.*

Recte sine dubio statuis, verba *e muris*, in vulgaribus editionibus post *illi* posita, in Bong. Flor. Leid. Voss. 1. Parr. Mod. omissa, non debuisse a Zumptio eiici; vitium enim subesse, quum locutio *e muris necaverunt* a Curtii elegantia aliena sit. Ego quidem Radero assentior statuenti, *necaverunt* mutandum esse in *praecipitaverunt*. Videtur enim *praecipitaverunt* intercidisse; librarius autem aliquis, quum interficiendi verbum requiri videret, *necaverunt* interposuit: de quo vitiorum genere supra dixi.

6, 3 (1), 20. *A quo Lacedaemonii, nihil aliud quam ut oratores mittere ad regem liceret, Tegeatae veniam defectionis praeter auctores impetraverunt. Megalepolitanis, quorum urbs obsessa erat a defectionis sociis, Achaei et Elei CXX talenta dare iussi sunt.*

Locus hic, si quis alius, difficilis. de quo quid sentiam, libere tibi aperiam, quamquam vix spero, me de sententiae meae veritate tibi persuasurum esse. Iam primum, quod Zumptius scripsit, *Tegeatae*, id vix posse verum esse, duobus argumentis praeclare docuisti: primum enim participium *precati*, quod in libris est, aut totum neglectum est aut prior certe eius pars *preca:* deinde cur uni Tegeatae nominentur, quum Arcades tamen omnes praeter Megalopolitanos defectionis socii fuerint, caussa non perspicitur. De qua re mihi videtur sic statuendum esse. *Tegeatae* si in codicibus aperte scriptum esset, retinerem; nam illius defectionis historia nobis non adeo nota est, ut non liceat putare, Curtium in eius narratione ab aliis scriptoribus discordare. At periculosissimum est, eiusmodi res incertas coniecturis in scriptores inferre atque ita veterum historias nostro arbitratu constituere. Quae quum ita sint, ego quidem h. l. codicum scripturam, quum apte explicari possit, retinere tutissimum duco. Et tu quidem, Mützelli, in verbis *precati geatae* Arcadum nomen latere censes, ita ut

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a Graecorum concilio iam omnes defectionis socii puniti sint. at unde nobis constat tandem, Arcades poenas luisse, quum, ut mox videbimus, ne certum quidem sit, Achaeos et Eleos punitos esse? In codicibus autem primum est *precati*, nam quod in D. B. **1.** illud omittitur, id quidem nullius momenti esse, probe intellexisti. id igitur retinendum. Quae etiam caussa excogitari possit, cur illud repudietur, quum constructio aptissima sit? Sed servandum etiam alterum illud *gratae*, quod in D. Bong. sic recte scriptum est. idem est *grate* in Mer. Voss. **2.** Pal. **1.** quum *e* et *ae*, ut supra iam vidimus, saepissime inter se commutentur. neque aliud est *geate* in Flor. Voss. **1.** quum etiam *e* et *r* saepe commutentur. magis corruptum est *gete* in B. **1.** et male correctum *aegre* in Theocr. At, inquies, sic Curtii narratio a narratione Diodori Siculi plane diversa est, qui **17, 73.** aperte dicit: *ἔδοξεν αὐτοῖς (τοῖς συνέδροις) ἀκέραιον τὴν ἀπόκρισιν ἐπὶ τὸν Ἀλέξανδρον ἀναπέμψαι. ὁ μὲν οὖν Ἀντίπατρος ὁμήρους ἔλαβε τοὺς ἐπιφανεστάτους τῶν Σπαρτιατῶν πεντήκοντα. οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι πρέσβεις ἐξέπεμψαν εἰς τὴν Ἀσίαν, ἀξιοῦντες αὐτοῖς δοῦναι συγγνώμην ἐπὶ τοῖς ἠγνοημένοις.* Audio et confiteor, magnam hanc esse difficultatem. nonne autem plurima a veteribus scriptoribus narrantur, quae conciliari inter se nullo modo possunt? Neque enim ego illam diversitatem in Curtii librum intuli, sed est haec scriptura codicum. aptissime illa potest explicari, sed a narratione Diodori discrepat: num quid amplius? Iam constat quidem, Curtium iisdem fontibus usum esse, quibus Diodorus libro XVII. usus est, et haud raro tam accurate cum eo congruere, ut verbum de verbo translatum esse videatur: at interdum tamen Curtium a Diodoro dissidere et aliis deterioribusque fontibus videri usum esse, tu quidem ipse, vir doctissime, quem nihil plane istarum rerum fugit, plus semel animadvertisti, velut ad **3, 6, 6. 3, 25, 2. 3, 29, 27. 4, 19, 16. 4, 30, 9. 4, 35, 5. 4, 56, 5. 5, 8, 11. 6, 19, 24. 9, 13, 24. 9, 27, 1.** Imo in hac ipsa narratione Curtium alios sequutum fontes esse, haud levibus, opinor, argumentis probari potest. Primum enim de tempore, in quod bellum Spartanum inciderit, inter se discordant, quum Curtius aperte dicat, prius illud finitum esse, *quam Dareum Alexander apud Arbela superaret*, Diodorus contra illius ipsius pugnae nuntio Lacedaemonios motos esse tradat. Neque de proelio, quo victi Lacedaemonii sunt, plane consentiunt, quum Curtius **6, 2 (1), 16.** ex Macedonibus *haud amplius mille*, Diodorus **17, 63.** *plus quam tria milia et quingentos cecidisse* dicat. Deinde vero Diodorus narrat, legatos ad Alexandrum missos esse. At quando tandem illi abierunt? quando ad Alexandrum pervenerunt? quod ab eo responsum tulerunt? qua poena Lacedaemonii ab eo affecti sunt? De hac legatione nemo quidquam tradidit. (cf. Droysen. hist. Alex. M. p. **276.**).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Curtius certe, si h. l. narrasset, Lacedaemonios impetrasse, ut oratores ad Alexandrum mittere liceret, non omisisset profecto commemorare, quem eventum illa legatio habuisset. Neque Iustinus, qui **12, 1.** Alexandrum nuntium confecti belli Spartani accepisse tradit, de poena vel legatis Lacedaemoniorum quicquam scribit. Iam Aeschines quidem Ctesiph. **133.** p. **427.** Bekk. dicit: *οἱ Λακεδαιμόνιοι δ', οἱ ταλαίπωροι — οἱ τῶν Ἑλλήνων ποτὲ ἀξιοῦντες ἡγεμόνες εἶναι, νῦν ὁμηρεύσοντες καὶ τῆς συμφορᾶς ἐπίδειξιν ποιησόμενοι μέλλουσιν ὡς Ἀλέξανδρον ἀναπέμπεσθαι τοῦτο πεισόμενοι καὶ αὐτοὶ καὶ ἡ πατρὶς ὅτι ἂν ἐκείνῳ δόξῃ.* haec vero cum Curtii narratione optime conciliari possunt. *μέλλουσιν ἀναπέμπεσθαι* Aeschines dicens, Lacedaemoniorum significat consilium, quod illi sine dubio non modo in ipso Graecorum concilio aperuerunt, sed iam antea declaraverant; quod ipsum consilium a Curtio indicatur verbis: *nihil aliud — precati.* Oratio enim Aeschinis ante concilium Graecorum, quod Antipater consuluit, videtur habita esse: quam rem certam dicerem, si Aeschinis verba **254.** p. **469.** Bekk. *ἡμερῶν μὲν ὀλίγων μέλλει τὰ Πύθια γίνεσθαι καὶ τὸ συνέδριον τὸ τῶν Ἑλλήνων συλλέγεσθαι* ad idem illud concilium, a quo res Lacedaemoniorum tractata est, referri possent. sed, quum Diodorus illud Corinthi habitum esse scribat, nisi eum erroris coarguere possumus, non licet statuere, Antipatrum ad Amphictyones rem detulisse. Sed Curtium non concordare cum Diodoro, etiam alio argumento demonstrari potest. Etenim si placuit Graecorum concilio, *ἀκέραιον τὴν ἀπόκρισιν ἐπὶ τὸν Ἀλέξανδρον ἀναπέμψαι*, res sine dubio nondum plane finita erat. quamquam socii defectionis Achaei et Elei mulctati erant, Arcades veniam impetraverant, tamen, quum, quid de Lacedaemoniis fieret, nondum certum et constitutum esset, defectio non plane finita erat, quae aut venia aut poena finienda erat. Tamen vero Curtius aperte dicit: *hic fuit exitus belli, quod repente ortum, prius tamen finitum est, quam — superaret.* Denique ne verisimile quidem est, concilium Graecorum sociis defectionis, qui foedere Corinthio cum Alexandro iuncti eamque ob caussam ruptores foederis erant, aut veniam dedisse aut exigua eos pecunia mulctasse, Lacedaemonios contra, qui, quum foedus Alexandri aspernati essent, (Arrian. **1, 1, 2.**) iustum bellum cum eo gesserant, non seditionem moverant, quorum igitur aut nulla aut multo levior culpa erat, non ausum esse absolvere. Quod iam ex nostra scriptura Lacedaemonii dicuntur nihil aliud precati esse, nisi ut oratores mittere liceret, id quam maxime eorum moribus accommodatum est. Nondum ita deposuerant pristinam superbiam animique magnitudinem, ut, postquam fortissime pro libertate et veteri gloria pugnaverant, quamquam victi, iam fractis et dimissis animis veniam pete-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rent. imo vero ipsi Alexandro missis legatis ob oculos ponere volebant, se non ruptores foederis, sed hostes ei fuisse. At mirum fortasse videatur, quod, quum illi nihil aliud precarentur, Graeci tamen veniam iis tribuerint. Caussa vero huius rei a Curtio satis aperte indicatur, quod gratam defectionem nominat. Gratam enim Lacedaemoniorum defectionem Graecis fuisse, Curtius ipse modo narravit. *Nec fallebat Antipatrum,* inquit, *dissentire ab animis gratulantium vultus: sed bellum finire cupienti opus erat decipi.* Inde colligere licet, Antipatrum noluisse Lacedaemonios severe puniri, sed, quum propter Alexandri invidiam non auderet ipse iis ignoscere, concilium Graecorum obtendit. Collocatio verborum *gratae veniam defectionis* elegantissima est (6, 29 (8), 7. *tanti ducem exercitus)* et apud Livium, praesertim prioribus libris, in quibus potissimum elegantiam rehetoricam quaerit, frequentissima. ut lib. 1, 12. *tanti periculo viri.* 1, 8. *adeo rara eius fortuna decoris fuit.* 1, 15. *iusti more belli.*

Transeamus ad sequentia, nam ne haec quidem mihi videntur penitus emendata esse. Primum enim cur Arcades s. Tegeatae, qui veniam impetrant, minus noxii quam Achaei et Elei, qui mulctantur? in qua re hoc tenendum, quod supra posui, res plane incertas et dubias non esse coniecturis inferendas. Deinde vero, si vera est Zumptii emendatio, cur *Megalepolitanis* initio enunciationis collocatum est? Etenim quum Lacedaemonii, Tegeatae s. Arcades, Achaei et Elei sibi opponantur, iam, postquam de Lacedaemoniis et Tegeatis dictum erat, Achaei et Elei statim ab initio collocandi erant: *Achaei et Elei Megalepolitanis — dare iussi sunt.* Denique verba *a defectionis sociis,* ex coniectura profecta, scrupulum mihi iniiciunt. Socii defectionis et Arcades erant, et Achaei et Elei, auctores Lacedaemonii. iam quum Megalopolis dicatur a defectionis sociis, obsessa fuisse, quaeritur, ab omnibusne an a singulis? si ab omnibus h. e. etiam ab Arcadibus, cur Achaei et Elei soli mulctantur? gravior profecto culpa Arcadum, in quorum finibus Megalopolis sita. si non ab omnibus, sed ab unis Achaeis et Eleis, cur socios ab his discernit, quum ipsi illi socii sint? cur non, ut debebat, dicebat: *Achaei et Elei Megalepolitanis, quorum urbem obsederant, — dare iussi.* quod autem de hac Zumptii coniectura dixi, idem in id, quod Walchius coniecit, *socii,* cadere videtur. Postremo ne codicum quidem auctoritate Zumptii scriptura firmatur, nam, quantum ex litterarum ductibus colligitur, ablativus *Achaeis,* non nominativus *Achaei* in codicibus fuit, quum in omnibus mutilatum Achaeorum nomen litteram *s* contineat. Est enim in Flor. *Achas et Eli,* in F. B. 1. *Achaseteli,* in Voss. 1. *Achas Seteli,* in B. 2. *Achasseteli,* in C. *Achastelli,* in Voss. 2. et ap. Mer. Ald. *Achasetoli.* Itaque ego retineo *Achaeis et Eleis,* quod in vulgaribus editionibus est, et sic omnia scribo: *A quo Lacedaemonii,*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nihil aliud quam ut oratores mittere ad regem liceret precati, gratae (haud ingratae?) veniam defectionis praeter auctores impetraverunt. Megalepolitanis, quorum urbs obsessa erat a defectionis sociis Achaeis et Eleis, CXX talenta dare iussi sunt. Ex hac ratione de sociorum poena, de qua neque Diodorus neque ullus alius scriptor quicquam tradit, nihil Curtius narrat, sed solos Lacedaemonios, auctores et capita defectionis, commemorat, quod quam aptum sit, ex eo intelligitur, quod etiam alias haec Lacedaemoniorum defectio et Antipatri victoria Spartana vocatur (Curt. **10**, **31** (**10**), **14**.) Iam vero etiam apparet, non prorsus impunitos Lacedaemonios abiisse. veniam quidem impetrarunt, at praeter auctores tamen. deinde CXX talenta Megalopolitanis dare iussi sunt, quae non tam mulcta quam damni illati compensatio erat. Multo rectius autem Spartanis haec mulcta imponebatur, quam iis, qui ipsorum nomine urbem obsederant. *Sociis* autem Zumptium sequutus retinui, quum *eius*, quod in codicibus est, facile sane, siquidem *s* littera ob praecedens vocabulum *defectionis* male exciderat, oriri poterat, quamquam fortasse rectius scribitur *a defectionis eius sociis*, ut **8**, **13** (**3**), **16**. *defectionis eius participem.* Genitivum *eius* Curtius adiicere amat, etiam ubi non adeo necessarius est.

6, **39** (**10**), **28**. *Retinete me in vinculis, dum consulitur Ammon arcanum et occultum scelus. Interim, qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suae insidiati sunt, latere patietur.*

Significavi tibi iam per litteras, non modo *interim* in *Iupiter enim* mutandum, sed etiam in antecedentibus mendum tollendum esse. Quoniam vero video, te in editione minore tua illam tantummodo coniecturam commemorasse, de altera siluisse, intelligo, abs te improbari eam. Hoc, siquidem recte conieci, mihi quam maxime mirum accidit, quum mendum illud non modo codices aperte demonstrent, sed etiam grammatica. In codicibus enim minime scriptum est *Ammon*, quod in impressis libris est, sed in Grut. o. Flor. Leid. Voss. **1**. *Ammo dum*, in B. **2**. *ammodum*, in Voss. **2**. Mer. Ald. *admodum*. quid igitur certius esse potest, quum illud ipsum *dum*, quod omnes tamen eiecerunt? excidisse aliquid, ipsae eae veteres editt. ostendunt, in quibus *Ammonius* est, atque adeo *in*, quod Z. recte eiecit, nihil est aliud, nisi *m*, ultima omissae vocis littera. Quis igitur dubitet scribere: *dum consulitur Ammon, dum arcanum et occultum scelus*: praesertim quum eiusmodi repetitiones tum ipse Curtius, tum alii scriptores, ut multis exemplis ad **6**, **35**, **28**. p. **574**. praeclare ostendisti, imprimis adamaverint. Quoniam vero repetitae *dum* particulae illo loco nulla exempla apposuisti, nonnulla adscribam. Curt. **6**, **42** (**11**), **15**. *dum corripitur, dum obligantur oculi, dum*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vestis exuitur. Liv. 3, 10. *dum domi, dum togati sint.* cf. Drakenb. ad Liv. 5, 35. Tacit. ann. 2, 31. *dum trepidant, dum refugiunt.* 15, 59. *dum auditur Milichus, dum dubitat Scevinus.* 16, 13. *dum adsident, dum deflent.* Sed cur ita scribendum sit, multo gravius etiam argumentum hoc est. Dixisti quidem in minore editione, *consulere*, etiam quum significet *consilium petere*, cum duplici accusativo et personae et rei iungi posse. hoc tamen, vir amicissime, vereor equidem ne non ab omni parte verum sit. Potest quidem verbo *consulere* praeter accusativum personae etiam accusativus rei iungi, neque vero accusativus substantivorum, si *rem* exceperis, sed huius generis accusativi: *hoc, illud, istud, id, multa, pauca, cetera, unum, quid;* quae quidem res de aliis verbis satis constat. Reisig. schol. de gramm. Lat. p. 689. Madvig. gr. Lat. 228, 1. Sic Cic. Att. 7, 20. *Nec te id consulo.* Iam sponte apparet, illos accusativos non significare rem, de qua consilium petimus, sed id ipsum, quod scire volumus, h. e. consilium. Luculentissimum huius rei exemplum est apud Plaut. Men. 4, 3, 26. *Ibo et consulam hanc rem amicos:* in quibus *hanc rem* haudquaquam idem esse quod *de hac re*, consequitur ex additis statim verbis: *quid faciendum censeant.* In his autem, quae ap. Livium sunt 2, 28. *delatam (rem) consulere ordine non licuit, — consulere* significat *deliberare*, (ut Caes. b. G. 7, 83. *bis — repulsi Galli, quid agant, consulunt*) neque debebat ibi Rhenanus Plautinum illud exemplum comparare. Ex his colligitur, vitiosam esse locutionem: *dum consulitur Ammon arcanum et occultum scelus.* dicendum erat: *de arcano et occulto scelere.* Coniectura mea, *Jupiter enim*, quam facilis sit, nemini obscurum erit, qui horum codd. rationem perspexerit. aptissimam illam esse, et prorsus necessario addi *enim* particulam, sponte apparebit. Sententiae enim sic cohaerent: Retinete me in vinculis, dum consulitur Ammon, dum arcanum et occultum scelus. ita, siquidem reus sum, effugere poenam non possum, nam Iupiter nullum ex reis latere patietur.

6, 41 (11), 5. *Nunc cur Ammonem consuli vellet? eundem Iovis arguisse mendacium, Alexandrum filium agnoscentis.*

Quod Zumptius de coniectura dedit, *nunc cur*, id longius recedere ab eo, quod in codicibus est, recte iam animadvertisti: idem tamen etiam in vulgarem scripturam *cur* convenit. Optimi enim et plerique codices, Bong. Grut. o. Flor. Leid. Voss. 1. 2., *ne quum* habent: in Mer. et Ald. editt. *ne* omittitur; in Siegeberg. ap. Mod. *nec vero* reperitur, Modius ipse *nam cur* scripsit, unde tu *iam enim* fecisti. At non modo vidimus, quam proxime ad litterarum ductus, qui in bonis libris sunt, accedendnm esse, sed etiam illud ipsum *cur* mihi quidem displicet. Quaerit sic Bolon, cur Ammonem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

consuli velit Philotas. paullo post autem se caussam scire profitetur, dicens: *nunc ad oraculum mittere, dum pater eius sollicitetur — et — perditos homines ad societatem sceleris impellat.* Quodsi quis ironice haec interrogari dicat, concedo quidem id fieri potuisse: tum autem responsio, quae ironiam aperiret, statim sequi debebat, sic fere: *Iam cur Ammonem consuli vellet? nempe, ut* (vel *dum*) *pater interea sollicitaretur et — impelleret.* Iam vero Bolon sic ratiocinatur: tu quidem caussam, cur Ammonem consuli velis, non habes, quia eundem mendacii arguisti. habes autem caussam, quia patrem interea sollicitari vis. Quod cui placere potest? Itaque ego quidem scribendum esse censeo: *Ne[quic]quam Ammonem consuli velle. eundem Iovis —.* Sic omnia optime cohaerent: „Ammonem consuli vis! frustra; nam, qui eundem mendacii arguit, non potest expectare, ut ei mos geratur: vera autem caussa, cur id velis, haec est, quod patrem sollicitari vis.“ Syllaba *quic* excidit, deinde *quam* in *quum, velle* in *vellet* mutatum. Sic **7**, **33** (**8**), **3**. *haudquaquam* in D. P. **1**. mutatum est in *quanquam.* **7**, **1**, **8**. *quamquam* in *quam* in codd. Mod. Bong. Pal. o. Ald. **7**, **15** (**4**), **20**. alii codd. habent *et quam,* alii *et quum*, Voss. **2**. *quam.* B. **1**. *qua.* **6**, **8** (**3**), **10**. vera lectio est *suis quisque.* iam omissa syllaba *quis,* in D. Pal. **1**. B. **1**. **2**. Flor. Leid. Voss. **1**. **2**. scriptum est *suisque.* unde in P. factum *Syrisque.* Infinitivus autem et imperf. coniunct. saepissime inter se commutantur. **5**, **14** (**4**), **12**. *monstrare — monstraret.* **6**, **43** (**11**), **33**. *fuisse — fuisset. recusare — recusaret.* **8**, **18** (**5**), **10**. *posse — posset.* **9**, **34** (**9**), **1**. *permittere — permitteret.*

7, **3** (**1**), **29**. *Is apud te fuit, cuius gratiam expetere et iram timere possemus. An non propemodum in tua verba tui omnes te praeeunte iuravimus, eosdem nos inimicos amicosque habituros esse, quos tu haberes?*

Haec scriptura, ex Modii, ut videtur, coniectura orta, quae impressos ex illius aetate libros occupat, non una de caussa mihi disciplet. Primum enim quam longe illa a codicum scriptura recedat, statim apparet, quum Flor. Leid. Voss. **2**. Parr. habeant *si non propemodum tuo verberatu et,* Voss. **1**. *si non propemodum tuo verberat ve,* Grut. o. Mod. Ald. *si non propemodum tuo verberatu ei.* Haec corrupta esse, nemo est quin intelligat: sed *verberatu et* non posse mutari in *verba tui,* neminem fugiet, qui horum codicum rationem perspexerit. hanc autem, quam modo posui, scripturam proxime ad veram accedere, et infra patebit et per se manifestum est, quum non modo optimorum codicum sit, sed etiam, quomodo in ceteris corrupta sit, facile intelligatur. in Voss. **1**. enim *t* excidit et *u* littera cum relicta littera *e* coniuncta est. in reliquis t, ut saepissime, et *i* permutata sunt. De codicis Viteberg. scriptura *si non propemodum*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tuo imperatu ei omnes — quam Wenschius meus virorum doctorum notitiae tradidit, rectissime te iudicasse, infra apparebit. Sed in vulgari scriptura quam maxime etiam *propemodum* illud displicet, quod Acidalio iam scrupulos iniecit, qui aut delendum illud aut in *pridem* mutandum esse putavit. Cuius dubitationem miror non movisse editores. Quid enim, quaeso, illud sibi vult? De se commilitonibusque Amyntas loquitur, qui, ut omnes milites, non propemodum, sed re vera in verba Alexandri iuraverant. Praeterea etiam plane otiosum et ieiunum *tui* est, quod quidem haudquaquam in codd. exstat, sed coniecturae debetur: certe addendum erat *milites*. Denique non adeo bonum, quamquam tolerabilius, quod bis eandem rem Amyntas inculcat, nam *in tua verba* et *te praeeunte* idem significant. Vide iam, an meliora tibi videantur haec: *Si non, propemodum in tua verba erratum est. Omnes te praeeunte — haberes.* quae saltem concedes proxime ad litterarum ductus, qui in codd. sunt, accedere, nam *eratu* fere iam est *erratum*, quum *m* et duplicata *r* littera lineolis a librariis significari soleant. verba *si non*, quum Curtius sua e Graecis expresserit, sunt graeca εἰ δὲ μή, quae constat non semper ad singula verba, sed ad integras saepe sententias ita referri, ut contrarium ponant, ut nostrum *wo nicht*. Referuntur igitur h. l. ad enunciationem proxime antecedentem et significant: *si non fuit is, ut — possemus* h. e. *si res non est ita* vel *si in hac re nobis erratum est*. Sic etiam *si minus* Curtius usurpavit 5, 11 (3), 4. *Alexandrum ita deprecata est (Sisygambis): ut ipsam excusaret, quod deprecaretur: petere se, ut illis quoque, si minus* (εἰ δὲ μή), *sibi ignosceret.* Sententia iam satis aperta est. Amyntas, is apud te fuit Philotas, inquit, quem amicum nobis reddere liceret (cf Snakenb. ad h. l.); si non licebat, si erravimus in hac re, propemodum in tua verba erravimus. militari enim sacramento obstrinximus nos, ut eosdem et amicos et inimicos, quos tu, haberemus: itaque etiam Philotae, tui amici, expetere amicitiam nos posse putavimus. *in tua verba erratum est* ad similitudinem locutionis *iurare in alicuius verba* dicta sunt. *in* significat *auf — hin*, quam significationem ad 4, 2, 9. p. 171. exemplis illustrasti: Sic 6, 43 (11), 29. *in haec fides data est et accepta.* 4, 6 (1), 38. *in spem totius orbis occupandi gerebantur.* Liv. 1. 8. *in spem magis futurae multitudinis, quam ad id, quod tum hominum erat, munirent.* Similia etiam haec sunt: Tacit. ann. 3, 69. *in hanc sententiam facta discessio.* 13, 41. *aliaque in eandem formam decernuntur.* Curt. 6, 42 (11), 15. *inimicis in gratiam regis torquentibus.* Tacit. ann. 11, 16. *armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus.* German. 18. *in haec munera uxor accipitur.* Ceterum facile intelliges, in hac scriptura *propemodum* aptissime additum esse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

7, 26 (6), 14. *Alexander Spitamenem et Catenem, a quibus ei traditus erat Bessus, haud dubius, quin eorum opera redigi possent in potestatem, qui novaverant res, iussit accersi.*

Inter *potestatem* et *qui* in omnibus codicibus veteribusque editionibus interponuntur verba *coercendo eos,* quae Freinshemius eumque sequutus Zumptius omiserunt. Quum facile appareat, a librario illa non esse explicationis caussa addita, Freinshemius statuit, ex sequenti linea illa in hanc „ascendisse". Sed cui tandem hoc probabitur? certe in brevissimo illo „ascensu" formam suam mirum in modum mutarunt. Mihi quidem, ut ingenue fateor, non modo retinenda illa videntur esse, sed sine illis ne placet quidem enunciatio, quum iam satis otiosa sint verba *qui novaverant res.* Si vero retinentur, non iidem sunt, qui novaverant res et quos in potestatem redigere volebat Alexander. In potestatem redigendi erant populi modo nominati Sogdiani et Bactriani; coercendi autem ii, qui res novare inceperant h. e. VII. milia illa equitum, quorum auctoritatem ceteri sequebantur, qui si Spitamenis et Catenis opera coerciti erant, tota seditio oppressa et Sogdiani Bactrianique in protestatem redacti erant. *Coercere* autem non semper ad vim armorum, sed etiam ad verba, promissa, preces, auctoritatem refertur, ut Tacit. ann. 2, 34. *donec propinquis Pisonem frustra coercentibus deferri Augusta pecuniam — iuberet.* 6, 13. *incusavit magistratus patresque, quod non publica auctoritate populum coercuissent.* est igitur *beschwichtigen. Res novare* tum de gentibus usurpatur, ut 4, 5 (1), 30. *vana gens et novandis quam gerendis rebus aptior,* tum de auctoribus defectionum, ut 9, 41 (10), 12. *Aspastes erat satrapes gentis, suspectus res novare voluisse.* cf. 10, 25 (8), 1.

8, 14 (4), 2. *Primus dies quietum iter praebuit. proximus ei nondum quidem procellosus et tristis, obscurior tamen pristino, non sine crescentis mali damno praeteriit.*

Quod Zumptius omisit, *minis,* interpositum illud inter *sine* et *crescentis,* in plerisque optimisque libris, — etsi in nonnullis mutatum in *nimis,* — rei ipsi accommodatius esse quam, quod recepit, *damno,* luculenter docuisti. Neque idcirco *damno* reiiciendum. verissima mihi scriptura editionis Amstelod. esse videtur: *sine damno,* modo *at* praeterea addatur: *non sine minis crescentis mali, [at sine] damno praeteriit.* ut Caes. b. civ. 2, 34. *non ita magno, at difficili et arduo ascensu.* In Amstelod. editione saepius vera scriptura invenitur, sive ex libris illa, sive e coniectura fluxit: ita 10, 5 (1), 41. *reddiderat,* quum in aliis male scriptum sit *reduxerat.*

8, 30 (9), 13. *Nec aperuit natura causam.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Zumptii in hoc loco emendando audacia recte a te notata est. neque sententia valde apta vel ea videtur esse, quam quis exspectet. propter sequentia verba enim haec, ut opinor, requiritur sententia: neque huius mutationis caussa ullis externis signis percipitur. Sed videamus codices. In Mer. D. Bong. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. scriptura est: *nec cur ubi se natura* (Pal. 1. Mer. *naturae) causa*, in Voss. 2. *nec cur ibi se natura.* Abest igitur *ingessit* ab optimis codicibus. neque tamen id ideo eiiciendum, sed emendandum esse, ex iis, quae supra disputavimus, patebit. Neque enim ex coniectura illud ortum esse apparet: quis enim coniecturam faciat, quae intelligi non potest? Iam satis manifesta mihi in his videtur lacuna esse. reperitur enim in omnibus libris *cur*, deinde *caussa.* quae quum sine ullo dubio ad se invicem referantur, verbum deest, quocum *cur* copuletur. Iam facillimum quidem fuerit, mutare *ingessit* in *incessit* vel *intercessit,* quae verba saepe significant *apparere, se ostendere, oriri,* ut Tacit. ann. 3, 26. *ambitio et vis incedebat.* 3, 36. *incedebat licentia.* (1, 43. *quos iam pudor et gloria intrat).* sed, quum ab optimis codicibus *ingessit* plane absit, verae scripturae vestigia potius in Ald. exstare arbitror, in qua legitur *ingressu,* quod quis dubitet quin ex cod. fluxerit? Coniicio igitur scribendum esse: *nec cur ibi se natura [inverterit], caussa impressa* (h. e. *naturae).* Sententia ea est, quam requiri dixi. naturam ibi plane inversam esse, Curtius modo narravit. caussa huius rei non impressa naturae h. e. nullis vestigiis vel signis causa in rerum natura apparet. Simili ratione Cic. Milon. 27, 74. *Eum, qui aedem Nympharum incendit, ut memoriam publicae recensionis tabulis publicis impressam exstingueret.* Phil. 2, 24, 58. *horum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia — totam denique Italiam impressit.* de fato 4, 19, 43. *Sic visum obiectum imprimet illud quidem et signabit in animo speciem suam.*

10, 2 (1), 11. Quod post *singulos eos* in Bong. Flor. Leid. Voss. 1. exstat, *compererant,* mutatum illud in *comparerant* in Pal. 1. D., id sine dubitatione recipiendum, quum sciamus, multo saepius omitti in illis codicibus verba, quam male addi. Neque enim ea satis idonea reiiciendi caussa est, quod, si abest illud, non requiritur; quam multa enim tum apud optimos scriptores eiicienda essent. Velut 3, 25 (10), 9. quis requirat verbum *referebat,* in fine positum, quum accusativi c. inf. proxime antecedentes optime verbo *admonebat* regi possint?

10, 5 (1), 42. *ad ultimum tamen ita ab semetipso degeneravit, ut invictus quondam adversus libidinem animi, arbitrio scorti aliis regna daret, aliis adimeret vitam.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Secunda pars enunciationis praeclare a Zumptio et prorsus accommodate ad codicum rationem tractata est. Nam quum *invictus quondam* vera sine ullo dubio scriptura sit, in omnibus codd. *victus* excidit, *in* solum remansit. iam quum *in quondam* ineptum esse librarii sentirent, scripserunt, ut putarunt verum esse: inde legitur in D. Pal. 1. Mer. Voss. 2. *in quodam.* in Bong. Voss. 1. *in quoddam.* in Flor. *in quiddam.* in Leid. *indam (quon* etiam excidit), in Ald. *in quosdam.* Multo minus prospere Zumptio in emendanda priore parte opera cessit. Post *ultimum* enim in Bong. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. *traiectum*, in Voss. 2. *tractum*, in Mer. *traiectus* legitur: hoc mutavit Zumptius in *tamen ita*, qua mutatione simul coactus est *usque adeo* omittere, quae verba in vulgaribus editionibus post *degeneravit* posita sunt; quae etsi etiam in Bong. D. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. 2. non inveniuntur, tamen haudquaquam reiicienda sunt. quis enim putet, librarium haec addidisse, quae profecto raro ita copulantur, at apud ipsum tamen Ciceronem reperiuntur de invent. 2, 51, 154. *ipsos quoque tempestas vehementius iactare coepit, usque adeo, ut dominus navis — in scapham confugeret.* in quibus etiam collocatio verborum plane eadem est, quae apud Curtium. Duo alia exempla ex poetis petita vide ap. Handium Tursell. I. p. 141. Iam nisi statuere velis *traiectum* recte habere, et, quum *traiicere* interdum etiam de itineribus terra susceptis usurpetur, *ultimum traiectum* esse ultimam Alexandri expeditionem in Indos susceptam, quod nec mihi placet nec, ut opinor, tibi placebit, sine dubitatione illud mutandum. Quum autem Voss. 2., qui saepe verae scripturae vestigia omnium optime retinuit, *tractum* habeat, ego quidem sic scribo: *ad ultimum, tractus [fortuna], ab semetipso degeneravit, usque adeo, ut — vitam.* Rebus secundis Alexandrum mutatum et corruptum esse, Curtius saepissime dicit: velut 3, 32 (12), 20. *Sed nondum fortuna se animo eius superfuderat: itaque orientem eam moderate et prudenter tulit, ad ultimum magnitudinem eius non cepit.* Ita h. l., quum, quantopere Alexander mutatus sit exponere velit, dicit: *res secundae valent commutare naturam.* Iam, quae modo universe de omnibus hominibus dixit, ea ad Alexandrum transfert. *trahere* autem significat *abripere (ad deteriora, in perniciem)*, ut Tac. ann. 3, 69. *neque expedire, ut ambitione aliena trahatur.* 4, 13. *claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus.* 4, 74. *ille dubia suorum re in anceps tractus — implorabat.* Curt. 4, 27 (6), 13. *defectio, quae Bactrianos quoque traxit.*

10, 7 (2), 6. 7. *Soli Athenienses, non suae modo, sed etiam publicae vindices libertatis, colluvionem hominum, quia aegre ferebant, non regio imperio, sed legibus*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

moribusque patriis regi assueti, prohibuere finibus, omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam urbis suae, tunc etiam exilii, admitterent.

Non integra haec esse, docent extrema. nam in plerisque bonis codicibus (Flor. Leid. Voss. **1.** Grut. o.) veteribusque editionibus interponuntur verba *igitur exules*, quamquam non in omnibus eodem ordine: sed in veteribus editionibus, quum a verbis *igitur exules* nova inciperetur sententia, *eiiciunt* interpositum est, quod, quum in codicibus non reperiatur, sine dubitatione eiiciendum. Difficilius profecto est omittere *igitur exules*, quae primus Modius eiecit, quamquam, quum codices non commemoret, in suis illa reperisse videtur. ego quidem facile concederem, *exules* a librario, qui non intelligeret, *colluvionem* et *prohibuere* inter se copulanda esse, vel qui illam ipsam colluvionem, quae esset, explicare vellet, addi potuisse: sed quis, quaeso, *igitur* addiderit? Accedit, quod *ordinem* in D. Bong. Bong. Grut. Pall. Leid. Voss. **1. 2.** Mer. post *colluvionem* interponitur, quam vocem tamen nemo dicet explicandi studio ortam esse. lacunosum denique et corruptum hunc locum esse, etiam inde consequitur, quod *libertatis* in codd. deest et a Modio de coniectura adiectum est. In vulgata lectione displicent mihi verba *quia aegre ferebant*, admodum inania illa et male constructa; nam *colluvionem* ad ea repetendum esse, vix perspiciet, qui primum legerit, sed potius desiberabit significationem eius, quod aegre tulerint Athenienses. Recte igitur statuisti, vir doctissime, vitium gravius subesse, quod vide an sic recte tollatur. *Soli Athenienses — colluvionem hominum, ordinem qui a[spernarentur], aegre ferebant, non regio imperio sed legibus moribusque patriis regi assueti. Prohibuere igitur exsules finibus, omnia potius toleraturi, quam — admitterent.* Quod *ordinem* transposui, nemini mirum videbitur, qui, quam saepe verba semel omissa alienum locum occuparint, recordatus erit. At quam temerarium est, inquies, *quia* divellere in duas partes et *a* litteram cum supplemento illo *spernarentur* conglutinare! Recte tu quidem. sed, si quo loco in bonis codd. scriptum esset *perinvalido*, et divelleret quis hanc vocem in duas partes *per* et *invalido*, deinde vero *per* mutaret in *por*, in fronte apponeret *cor*, in fine *i*, ut *corpori invalido* fieret, nonne hoc multo magis temerarium videretur? Et tamen **9, 23 (6), 2.** in optimis codicibus Flor. Leid. Voss. **1.** illud ipsum vitium exstat. Nunc quidem ex aliis codicibus correctum illud est. si vero in omnibus esset et emendaret aliquis, ideone falsa coniectura et ob temeritatem reiicienda esset? Simile, etsi minus grave, vitium codices obsidet **6, 37 (10), 6.** ibi enim *quem sequebantur* in Bong. Grut. Pal. **1.** mutatum in *que insequebantur;* inde factum in D. *quae insequebantur*. in Voss. **2.** P. F. Parr. Mer.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quem insequebantur. — *Ordinem aspernari* dictum est, ut ap. Tac. ann. **1, 16.** *disciplinam et laborem aspernantibus.* Ceterum quamquam *regio* — *assueti* et *prohibuere* aptissime inter se coniunguntur, tamen etiam *aegre ferebant* cum illis recte copulari, haec docebunt **4, 32 (7), 31:** *Et Macedones assueti quidem regio imperio, sed in maiore libertatis umbra, quam ceterae gentes, immortalitatem affectantem (Alexandrum)* — *aversati sunt.* Quod nondum assueti regio imperio Athenienses erant, haec caussa erat, cur indignitatem rei magis quam ceteri Graeci sentirent. Nisi autem *igitur* in codicibus esset, sic coniicerem scribendum esse: *Soli Athenienses* — *vindices libertatis, colluvionem ordinem [aspernantium] hominum quia aegre ferebant, non regio imperio sed legibus moribusque patriis regi assueti, prohibuere exules finibus.* —

10, 22 (7), 5. *Haud ambigue in iuvenem, cui regnum destinabatur, impensa probra magis ipsi odium, quam Arrhidaeo contemptum attulerunt.*

Quae de hoc loco disputasti, ea omnia mihi probantur, praeterquam quod *impense* in *carpebat sed* immutas. videtur hoc mihi paullo longius a litterarum ductibus recedere. Magis fortasse tibi ipsi placebit: *Haud ambigue in iuvenem, cui regnum destinabatur, intendit. sed probra, quae obiecerat, magis* —, ut **8, 18 (5), 13.** *haud perplexe in Callisthenem dirigebatur oratio.* Eadem ratione *intendere* usurpatur a Tacito ann. **4, 70.** *nullo nominatim compellato: neque tamen dubitabatur in Neronem et Agrippam intendi.* De praepositione *in*, retinenda an omittenda sit, lubrica quaestio est. nam, quum sequens vocabulum a syllaba *iu* incipiatur, *in* aeque facile omitti, quam addi poterat. ego tutius iudico retinere.

Accedamus iam ad emendandos eos locos, qui lacunis vitiosi sunt.

3, 28 (11), 23. *Tunc vero impotentis fortunae species conspici potuit, quum ii, qui cum Dareo tabernaculum exornaverant,* — *reservabant.*

Quod in veteribus editionibus est, *tum*, magis profecto mihi placet, quam quod e codicibus recepit Zumptius, *cum.* Rectissime tamen habet *cum*, modo addatur aliquid. Lacunam esse etiam tu statuis; quod vero *maxime* addis, bonum quidem, vide tamen an tibi *cura* magis probetur. *cum cura* „saepe dixerunt Livius, Curtius, Tacitus et alii,“ (Hand. Turs. II. p. **157**): apte autem addi illa, patet. quo diligentius enim antea tabernaculum Dareo exornaverant, eo magis apparet, quanta fortunae fuerit mutatio et vicissitudo. quam facile autem *cura* post *cum* excidere potuerit, in promptu est intelligere.

3, 35 (13), 17. *Ceterum tantae fortunae proditorem superi ultores celeriter debita poena persequuti sunt.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In quo h. l. rei cardo vertatur, probe intellexisti. Si male additum in codicibus est *dii*, quod a Bong. D. Pal. 1. Voss. 1. Parr. abest, nihil profecto melius excogitari poterit, quam quod Gronovius proposuit, Zumptius recepit, *superi ultores*. sin vero *dii* casu in codicibus intercidit, coniectura Gronovii quamquam ingeniosissima, tamen falsa est. Quid ego statuam, non potest esse obscurum. Casu vocem illam excidisse, de mea quidem sententia certissimum. Quid? quod hoc ipso loco in Flor. Leid. *debita* deest, ut taceam, in Theocr. corruptum illud *sepulturae* omissum esse. Iam quamvis facilis Gronovii coniectura sit, concedes tamen fortasse, etiam faciliorem hanc esse meam: *Ceterum dii tantae fortunae proditorem, [seri] saepe ultores, celeriter — persequuti sunt.* nam *saepe* in codicibus etiam Curtiani libri interdum *sepe* scribitur; *seri* quam facile ante *sepe* excidere potuerit; haud obscurum est. sententia denique aptissima: quum seri saepe ultores dii sint, hunc tamen tantae fortunae proditorem celeriter debita poena persequuti sunt. Similiter expressa et collocata haec sunt: Curt. 3, 25 (10), 10. *irent et imbellibus feminis aurum viri (h. e. qui viri essent) eriperent.* Liv. 1. 13. *ne sanguine se nefando soceri generique respergerent* h. e. *quum soceri generique essent.* De „sera numinis vindicta" quae veterum opiniones fuerint, constat. Tibull. 1, 9, 4. *Sera tamen tacitis Poena venit pedibus.* Horat. od. 3, 2, 31. *Raro antecedentem scelestum Deseruit pede Poena claudo.* Euripid. ap. Plutarch. de sera num. vind. c. 2. (ἡ δίκη) σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ Στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς ὅταν τύχῃ.

4, 5 (1), 31. *Sed eos Amyntas proelio superatos in urbem compellit, castrisque positis victores ad populandos agros * velut in medio positis * hostium cuncta agebantur.*

Quaeritur primum, verba *eduxit ac*, quae in Col. Sigeberg. Bong. Voss. 1. non reperiuntur, servanda an retinenda sint. Mea quae sit sententia, non erit tibi dubium. Verbum ipsum *educere* cur reprehendatur, caussa nulla est. multo magis displicere possit *victores*, quod non sine caussa tibi scrupulum iniecit. neque tamen satis gravis caussa adesse videtur, cur idcirco *eduxit* eiiciatur, praesertim quum ne in multis quidem codicibus illud omissum sit. Quod autem in cod. Theocr. *festinant* interponitur, id, quum manifesto a librario additum sit, qui deesse verbum intelligeret, nullius prorsus momenti est. hoc tum in aliis melioribusque codd. factum esse vidimus, tum praesertim in Theocr. saepe accidit: de quo codice nemo te rectius iudicavit. Melius adeo quam *festinant*, si quid deesset, interponeretur *discurrunt*, ut 4, 56 (15), 10. *et victores Persas ad praedam discurrisse.* 5, 32 (12), 6. *Persae — ad necessaria ex proximo vico*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ferenda discurrunt. **10, 21 (6), 13.** *quin igitur ad diripiendos thesauros discurritis.* — *omnibus,* quod olim in libris impressis fuit, recte sine dubio et Zumptius eiecit et tu mendosum iudicasti. Videtur etiam illud e coniectura ortum esse: vocis autem, cuius locum occupavit, pars tantummodo in codd. exstat. *dis* in Col. D. Flor. Voss. **1.** Bong. Paris. *diis* in Theocr., *odis* in Leid. in Bong. **2.** ante hanc syllabam *dis* exiguum spatium relictum est. Itaque *praedis* scribendum esse puto: si *o* littera, quae in Leid. reperitur, certa esset, coniicerem *spoliis.* Genitivus *hostium* possit quidem cum ablativo *praedis s. spoliis* coniungi, — ut **6, 20 (5), 5.** *spolia Persarum* (h. e. *de Persis,* ut alias Curtius dicit). **10, 10 (2), 26.** *devictarum gentium spolia circumferentes.* **4, 15 (3), 22.** *spoliis urbium.* **4, 31 (7), 19.** *navigiorum spoliis.* **4, 54 (14), 16.** *spoliis nostris* h. e. *nobis ereptis.* Tac. ann. **15, 52.** *in illa invisa et spoliis civium exstructa domo,* — melius tamen mihi videtur *hostium* et *cuncta* inter se coniungere. *in medio posita praeda* est *praeda parata,* ut **4, 54 (14), 11.** *parata hostibus praeda.*

4, 13 (3), 12. *Nec Tyrii, quamquam classem habebant, ausi navale inire certamen. tris omnino ante ipsa moenia opposuerant, quibus rex invectus, ipsas demersit.*

Laudem profecto Zumptius meretur, quod restituit codicum scripturam *tris omnino;* neque tamen sic emendatus locus est. Haudquaquam enim assentior tibi contra Walchium disputanti, qui substantivum ad *tris* requirit: nam quod dicis *naves* vel *triremes* ex antecedentibus verbis *navale certamen* facile posse assumi, id nullo modo credere possum, praesertim quum pronomina sequantur, quibus certum genus Curtius attribuit. Quis, quaeso, *ipsas* ad substantivum referre potest, quod plane non adest. masculinum si esset et *tres* essent homines, concederem: nunc, quum triremes sint, non possum. Iam quum *triremes* in Voss. **2.** scriptum sit, ego quidem, quum *tris* et *triremes* iisdem litteris incipiantur, arbitror, *tris* in Voss. **2.**, *triremes* in ceteris codd. excidisse, ita ut scribendum sit *triremes tris omnino.* Verba recte ita collocantur, quum, ut ad **3, 29, 27.** docuisti, *omnino* post numerum poni soleat. Triremes fuisse illas naves, Arrianus **2, 20, 9.** docet: *τρεῖς δὲ τὰς ἐξωτάτω ἐφορμούσας τῷ στόματι τριήρεις προσπεσόντες οἱ Φοίνικες καὶ ἀντιπρώροις ἐμβαλόντες καταδύουσιν.*

4, 32 (7), 29. *Vere et salubriter aestimanti fidem oraculi vana profecto responsa videri potuissent.*

Quod Zumptius restituit, *vera et salubri aestimatione,* in omnibus codicibus veteribusque editionibus videtur esse, etsi de nonnullis nihil certi traditur. *salubriter* certe ex nullo cod. enotatum est. *aestimanti* est quidem in uno cod. Colon. sed antecedit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tamen etiam in illo: *vera et salubria.* hoc ultimum autem quomodo ortum sit, ex Voss. 2. intelligitur, in quo est: *salubria extimatione.* Iam quicumque accurate perlegerit haec: *vera et salùbri aestimatione fidem oraculi — videri potuissent,* intelliget, ut opinor, nihil in hac oratione reprehendi posse, sed deesse aliquid. Itaque post *oraculi* interpono equidem *exigenti* h. e. *ponderanti, examinanti. Vera et salubri aestimatione exigere fidem oraculi* prorsus ex ratione Curtii dictum. 3, 14 (6), 5. *secreta aestimatione pensabat.* 4, 46 (12), 21. *Parmenionis consilium sera aestimatione perpendere.* 8, 6 (2), 1. *sera aestimatione perspexit.* Sed ne extrema quidem omni dubitatione et difficultate libera sunt. In Colon. enim post *responsa* additur *sicut erant.* quod Modius „ex glossa adscripta ad oram libri" ortum censuit. Et illi quidem profecto licebat ita iudicare, qui alios codices non cognoverit. Iam vero in optimis codd. Flor. Leid. Voss. 1. 2. *si* eodem loco interponitur. in D. B. certe *responsi* scriptum est. denique in Pal. 1. *sicut* reperitur. Si ex glossa ortum additamentum, unde tandem illud *si* in optimis codicibus? Quae quum ita sint, etsi licet statuere, *si* mutandum esse in *ei,* magis tamen in eam sententiam inclino, ut verba *sicut erant* retinenda putem. Simili modo 4, 39 (10), 4. *prope seditionem* in omnibus codd. mutatum in *pro seditione.*

5, 6 (1), 45. *Ex pecunia deinde Babyloniae tradita Macedonum equitibus sexceni denarii tributi. peregrinus eques quingenos accepit. ducenos pedes, ceteri stipendium duum mensum.*

In codicibus, in quibus scribitur: *ducenis* (s. *duceni) pedestrium stipendium mensum est,* apertissima lacuna est; tu vero duas esse statuis, quod ego quidem, nisi summa necessitas efflagitarit, haud facile posuerim. Ego, praeterquam quod *duceni* s. *ducenis,* id quod codd. habent, cum Zumptio in *ducenos* mutandum est, nihil nisi *mercenarius,* abs te iam propositum, in fine addendum censeo: — *ducenos pedes, trium stipendium mensum mercenarius. Macedonum,* quod inter *ducenos* et *pedes* addis, mihi quidem non necessarium videtur, quum pedes non uni peregrino equiti, sed equiti omnino opponatur: neque enim peregrinus tantum, sed etiam Macedonum eques ante commemoratur. peditem autem Macedonum esse, ex eo statim apparet, quod opponitur mercenarius. Sic etiam apud Diodorum ἱππεῖς et σύμμαχοι sibi opponuntur, quum tamen apud Curtium Macedonum equitibus peregrinus eques oppositus sit. Maior difficultas videbitur, quod *trium* retinui, quum Diodorus διμήνους μισθοφορὰς fuisse tradat. Etsi vero facillimum fuerit *trium* mutare in *duum,* id quod tu fecisti, mihi tamen illa discrepantia, quum ex codicum scriptura oriatur, non tantas dubitationes movet. At hoc tamen loco, inquies, omnia apud utrumque scriptorem praeclare concinere intelliges!

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Intelligo, neque tamen idcirco hanc unam parvulam diversitatem intolerabilem esse puto. Quid enim? sicut supra, tua diligentia usus, locos multos enumeravi, quibus Curtius in narratione rerum gestarum a Diodoro diversus est, ita haud paucos possum afferre locos, quibus de numeris cum illo discordat. Sic quae 9, 7 (2), 2. a Curtio traduntur, ea omnia ita a Diodoro 17, 93. narrantur, ut verbum de verbo translatum esse videatur. tamen apud Curtium est *undecim dierum,* apud Diodorum *δώδεκα ἡμερῶν.* — 9, 7 (2), 4. Phegeus Alexandro narrat, Gangaridarum et Prasiorum elephantos trium milium numerum explere, apud Diodorum contra, esse illis populis *ἐλέφαντας πολεμικῶς κεκοσμημένους τετρακισχιλίους.* — 3, 29 (11), 27. post pugnam apud Issum commissam ex peditibus triginta omnino et duo desiderati esse dicuntur, Diodorus contra 17, 36. scribit: *τῶν δὲ Μακεδόνων (ἐτελεύτησαν) πεζοὶ εἰς τριακοσίους.* et de numero equitum tamen consentiunt. — 4, 3 (1), 17. Curtius Hephaestionis hospites fuisse narrat, Diodorus contra 17, 47. unum commemorat. — 4, 19 (4), 16. Curtius Tyriorum sex milia armatorum trucidata esse tradit, Diodorus 17, 46. *πλείους τῶν ἑπτακισχιλίων.* — cf. 4, 63 (16), 26. et Diodor. 17, 61. 5, 8 (2), 11 et Diod. 17, 66. Donec igitur mihi probaverit aliquis, illas diversitates nullas esse, non mutabo *trium* in *duum.*

5, 27 (9), 10. *strictoque acinace interfecturus eum videbatur, ni propere Bessus Bactrianique, deprecantium specie, ceterum, si perseveraret, vincturi, circumstetissent.*

Quum in plerisque bonis codicibus *deprecarentur tristium specie* scriptum sit, de lacuna consentimus; quid interponendum sit, de hoc quidem dissentimus: tu enim *qui* ante *deprecarentur* ponis, ego *quasi.* Sed, pace tua hoc dixerim, amice suavissime, aut fallor equidem, aut *quasi* aptius est. Sponte apparet, non revera vel serio coniuratos deprecari voluisse, sed simulasse; quid revera voluerint, indicatur verbis: *ceterum, si perseveraret, vincturi.* Id vero ex tua coniectura non potest perspici, quum verba *qui (i. e. ut) deprecarentur* nihil nisi consilium eorum deprecandi significent. deinde etiam addita illa *tristium specie* satis otiosa. etenim si revera deprecabantur, etiam species deprecantium i. e. tristis erat; nam trucem vultum sine dubio non induebant. Res haec erat: fallere Darium coniurati volebant, quia tempus erumpendi nondum aderat. itaque speciem tristium induebant, ut putaret rex, eos deprecari. haec sententia addito *quasi* optime declaratur.

Sed ne constructio quidem illa: *ni — circumstetissent, qui* (pro *ut) deprecarentur,* praesertim quum *qui deprecantur* ante collocata sint, mihi placet: melius simpliciusque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

profecto erat scribere: *ni — deprecantes — circumstetissent.* Si vero *quasi* additur, aptissime sibi respondent *tristium specie* et *vincturi.* Simili ratione Tacitus ann. **15**, **53**. de coniuratione in Neronem agens, loquitur: *ordinem insidiis composuerant, ut Lateranus, quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus* (h. e. *tristi specie)* — *prosterneret incautum*

5, **31** (**11**), **7**. *et interpretis relato sermone graeci exempta dubitatio est.*

Hoc loco non modo coniectura mea, sed etiam ipse Curtius adversus tuos impetus defendendus mihi est. Nam quum ego *et interpretis ore relato sermone Graeci exempta dubitatio est* scribendum esse coniecerim, tu tamen *per interpretes*, quod ipse invenisti, in editionem minorem recepisti, ita quidem demonstrans, te tuam coniecturam mea meliorem ducere. Deinde vero ipsum Curtium impugnas, vel certe in codicibus gravius vitium esse opinaris, quum, quae hic tradantur, cum superioribus conciliari nequeant, quibus Patron sine interprete cum Dario colloquutus esse narratur. At, quamquam opera interpretis usus non est Patron, adesse tamen ille poterat et audire, quae dixit Graecus. Nam quod *remotis arbitris* se loqui velle cum Dario Patron respondit, ex eo non licet colligere, Darium eius voluntati obsecundasse. imo vero certissimum est, arbitros adfuisse. Bessus enim, ut Curtius hoc ipso loco narrat, quamquam erat Graeci sermonis ignarus, tamen indicium profecto Patronem detulisse credebat. Cur addidisset Curtius: quamquam erat graeci sermonis ignarus, si non adfuisset Bessus, ita ut, quae non intelligebat, certe exaudire posset. Postea deinde cum Dario de indicio Patronis colloquitur: quod qui fieri poterat, nisi, quae ipse non intellexerat, ab aliquo, qui adfuerat, acceperat? Videamus iam, utra coniectura praestet. faciliorem meam esse, ipse, opinor, concedes, quum *ore* propter sequentem syllabam *re* facillime potuerit intercidere. sententiam deinde aptam esse, haec docebunt exempla. **8**, **28** (**8**), **19**. *ut coram his probra, quae in me modo iecisti, modo audisti, illius quoque ore referantur.* Tacit. ann. **14**, **22**. *omnium ore Rubellius Plautius celebratus.* Sed etiam pluralis numerus *interpretes* mihi dubitationem movet, quum unus satis fuerit, et usitatum sit *per interpretem*, ut **6**, **17** (**5**), **19**. denique unus commemoratur **5**, **35** (**13**), **7**. *Melon, Darei interpres.* Ceterum *Graeci* (h. e. *Patronis)* non licet cum genitivo *interpretis* coniungere, sed ex ablativo *sermone* nexum illud est. sic **10**, **28** (**9**), **9**. *quorum sermone Meleager ad se relato.*

6, **43** (**11**), **33**. *cuius (consilii) patrem expertem fuisse nisi crederent, tormenta, quamquam iam tolerare non posset, tamen non recusare.*

Miror, Zumptium interposuisse *expertem* tibique illud probasse, quum codices tamen,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quid verum sit, satis aperte ostendant. Vulgatam olim lectionem, *cuius patrem fuisse auctorem nisi crederent*, falsam esse, sententia ipsa declarat. deest enim sine dubio *non*. hoc autem quum in bonis sit codd. Pal. 1. 3. Bong. Grut. Voss. 2., ego quidem caussam non video, cur non retineatur? quaeritur modo, *auctorem* an aliud vocabulum ponatur. Iam vero Modius aperte dicit, membranas (h. e. Colon. et Sigeberg.) habere *auctorem*; ergo donec probetur, Modium falsa tradidisse, *patrem non fuisse auctorem* scribendum est. sin vero in nullo codice *auctorem* exstat, ego *patrem [participem] non fuisse* legendum dico.

7, 37 (9), 14. 15. *ipse exhaustis etiam animi viribus in castra se recepit, reliquum substitit. Transierant iam Liberi Patris terminos.*

Ne nunc quidem melius quicquam excogitare possum, quam quod olim tecum communicavi. nam quod interponere aliquis possit, *noctis*, id minus aptum mihi videtur propter verbum *substitit*. cf. 4, 48 (13), 16. *tunc quidem sacrificio rite perpetrato reliquum noctis acquieturus in tabernaculum rediit.* Itaque nisi maiorem statuere velis lacunam hanc fortasse: *reliquum [diei acquieturus. Interea agmen persequentium non] substitit*, simplicissimum aptissimumque videtur interponere *agmen non*. nam quum statim sequatur *transierant*, necessaria est persequentium Macedonum commemoratio. Ceterum sic interpungo: — *in castra se recepit. Reliquum agmen non substitit. Transierant* —.

9, 34 (9), 1. *nec repertis (ducibus), pervicax cupido visendi oceanum adeundique terminos mundi, sine regionis peritis, flumini ignoto caput suum totque fortissimorum virorum salutem permittere.*

De lacuna h. l. nemo dubitat. deest in fine verbum finitum: nam quod vulgo additur, *incessit*, id recte Zumptius eiecit, quum et de coniectura adiectum et valde ineptum sit. Quod ipse Zumptius excidisse putat, *coëgit*, id multo quidem melius illo, rectius tamen duplici de caussa apponi puto *perpulit*. et primum quidem, quia antecedit *permittere*; deinde, quia, etsi non nego, cupidinem etiam cogere posse, plerumque tamen illa homines ad temeraria facta impellit. Constructio minime inusitata est. Curt. 5, 5 (1), 35. *virum compulit — imitari.* Tacit. ann. 6, 33. *Mithridates Pharasmanem perpulit — iuvare.* 11, 29. *duas pellices — perpulit delationem subire.* 13, 54. *perpulit Uerritum et Malorigem preces suscipere.* 13, 19. *Paridem histrionem — impulit ire propere crimenque atrociter deferre.* 14, 60. *(Poppaea) quendam ex ministris Octaviae impulit servilem ei amorem obiicere.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

10, 1, 1. *Iisdem fere diebus Cleander et Sitalces et cum Agathone Heracon superveniunt, qui Parmenionem iussu regis occiderant, quinque milia peditum cum equitibus mile.*

Recte quidem contra Heusingerum disputare videris, verba *quinque — mile* cum sequentibus *sed et — sequebantur* copulantem, quamquam confiteor, me in eandem olim incidisse sententiam. Quod vero illa ipsa verba *quinque milia peditum cum equitibus mile* ad nomina ducum apposita esse defendis, id quidem minus recte facere videris. In descriptione pugnae, quum, acies quomodo instructae fuerint, a scriptore traditur, licet profecto ad nomen ducis apponere numerum copiarum, quibus praeest: h. l. autem, quo supervenire quattuor duces dicuntur, de mea quidem sententia id nullo modo licet, praesertim quum iam verba *qui — occiderant* apposita sint, quae satis manifesto declarant, duces ipsos, non copias significari. Itaque lacunam etiam h. l. esse et *adducentes* in fine sententiae excidisse dico: — *superveniunt, qui Parmenionem iussu regis occiderant, quinque milia peditum cum equitibus mile [adducentes].* Sic Liv. **2, 3.** *superveniunt — petentes.* Arrianus **6, 27, 3.** hanc ipsam rem narrans, participium ἄγοντες apponit: ἧκον δὲ — *Κλέανδρός τε καὶ Σιτάλκης καὶ Ἡράκων, τὴν πολλὴν τῆς στρατιᾶς καὶ οὗτοί γε ἄγοντες.* Verbum *adducere* sic semper fere a Curtio usurpatur. **5, 6 (1), 40.** *Amyntas — peditum sex milia adduxit.* **6, 24 (6), 35.** *Zoilus D. equites ex Graecia adduxerat.* **7, 5 (1), 40.** *sex milia Macedonum peditum et DC. equites adduxi.* **7, 40 (10), 11.** *Ptolemaeus et Menidas peditum tria milia — adduxerunt.* **9, 13, 21.** *Memnon — peditum septem milia adduxerat.*

Quamvis saepe autem lacunas in Curtiani libri codicibus exstare viderimus, interdum tamen sine caussa editores eas adesse suspicati sunt. Unum exemplum afferam.

6, 42 (11), 20. Hic quod in plurimis optimisque codicibus reperitur, tenendum est: *donec rex, tumultu cognito, legem de supplicio coniunctorum sontibus remittere dixit:* etsi num *insontibus* an *sontibus* scribendum sit, quum utrumque in bonis libris sit, iis certe paullo difficilior quaestio videbitur, qui solam codicum rationem intuentur. nam quum *m* littera antecedat, *in* aeque facile omitti atque addi poterat. Sed duplici de caussa nihil dubito, quin *sontibus* recipiendum sit. verum est enim, quod dicis, apud Curtium et aequales scriptores *coniunctus* non posse esse substantivum: *sontibus* igitur ex participio *coniunctorum* nexum est. Deinde vero plane non opus est commemorare, regem insontibus illam legem remisisse, eaque caussa est, cur tibi non assentiar la-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cunam statuenti et *insontium* addenti. Neque enim de sontibus vel insontibus, sed de propinquis sontium lex illa crudelissima data erat, neque quia sontes, sed quia propinqui sontium erant, occidebantur. Si sontes ipsi erant, non tamquam propinqui occidebantur, sed tamquam sontes puniebantur. Itaque sponte apparet, legem de insontibus tantummodo propinquis datam fuisse et valuisse, ut ex his ipsius Alexandri verbis 8, 28 (8), 18. apparet: *sed olim istum morem occidendi cum scelestis insontes propinquos parentesque solvi.* Et in eo ipso posita crudelitas erat, quod insontes occidebantur. nam quae tandem crudelitas, si propinqui sontium, qui et ipsi sontes et eiusdem sceleris participes erant, puniebantur? Caussa illius crudelitatis duplex esse poterat. primum putabant fortasse reges, propinquos eorum, qui sibi insidiati essent, quasi sanguinis quadam contagione, infectos scelere esse, id quod ex his colligere possis: 8, 24 (6), 28. *patres propinquique eorum, de quibus agebatur, intererant, ne de sua quidem salute securi. quippe Macedonum more perire debebant, omnium devotis capitibus, qui sanguine contigissent eos.* Deinde vero ultionem fortasse propinquorum metuebant, quoniam insidiatores crudelissime plerumque torquebantur et severissime puniebantur. hanc veram caussam fuisse arbitror.

Ipsae interdum lacunae, si quidem omissa in margine verba adderentur, novorum origo vitiorum fuerunt. quod mihi 7, 39 (10), 8. accidisse videtur, ubi Zumptius, paucos codices sequutus, sic scripsit: *illi, nunquam se inimicos hosti fuisse respondent.* Mihi vero h. l. vulgaris scriptura vera videtur: *illi, nunquam se inimicos ei, sed bello lacessitos hostes fuisse, respondent.* Origo corruptelae, nisi fallor, haec fuit. Exciderunt in uno codice verba *ei sed bello lacessitos.* inde orta lectio ea, quam e codd. D. F. P. Zumptius recepit. Iam in eodem vel alio ex illo descripto codice omissa verba in margine addita erant, ita quidem, ut verba *se inimicos,* post quae inserenda erant, etiam in margine ponerentur. cuius consuetudinis exemplum exstat 3, 6 (3), 6. ubi vera lectio est: *ut fere fit.* in cod. D. autem, omisso *fere,* scriptum erat *ut fit.* iam in margine additum: *ut fere,* quo significabatur, *fere* post *ut* inserendum esse. Iam vero quum librarius illa describens non intelligeret, verba *se inimicos* cur apposita in margine essent, videret autem, post *se inimicos* haec poni non posse, ante collocavit: sic bis posita verba *se inimicos* etiam aliarum corruptelarum caussa facta sunt. Non sine caussa haec a me coniectata esse, docet Voss. 1. in quo scriptum: *se inimicos hosti fuisse,* in margine vero additum: *ei, sed bello lacessitos se inimicos.* Fortasse tamen etiam hic error corruptelae origo fuit, quod verba *se inimicos* non, ut debebant ante *ei, sed bello lacessitos,* sed post haec verba in margine erant collocata.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pervenimus iam ad tertium vitiorum genus, eorum, quae ex male intellectis scribendi compendiis orta ideoque mutatione tollenda sunt.

4, 5 (1), 30. *Potitus ergo Pelusii, Memphin copias promovit (Amyntas). ad cuius famam Aegyptii, vana gens et novandis quam gerendis aptior rebus, ex suis quique vicis urbibusque * concurrunt ad delenda praesidia Persarum.*

Quod in Flor. Leid. Parr. Mod. *hoc ipsum,* non, ut in aliis libris, *ad hoc ipsum,* eo loco, quo tu stellulae signum posuisti, inseritur, ex eo profecto non licet colligere, *ad* praepositionem male additam esse, neque debebat ideo Zumptius *id ipsum* scribere: caussam omissionis Voss. 2. fortasse demonstrat, in quo est *quod* h. e. *que ad.* Iam una quidem horum verborum explicatio cogitari potest, sed ne illa quidem satis apta. referri illa possint ad antecedentia: *rebus gerendis,* ut haec sententia sit: etsi haec gens novandis quam gerendis rebus aptior est, tamen ad hoc ipsum h. e. ad res gerendas concurrunt, praesidia Persarum deleturi. Sed ne sic quidem apposita verba *ad delenda praesidia Persarum,* quae tibi iam intolerabilia visa sunt, ferri possunt: neque sententia ipsa placet, quum lusum quendam contineat, a scriptoris dignitate alienum. Itaque scribendum censeo: *ad oppidum* h. e. ad Memphin. Vitium autem inde fortasse fluxit, quod in cod. scriptum erat *hoppidum. h* interdum male apponitur, ut 3, 34 (13), 9. *oneribus.* P. *honeribus.* 5, 14 (4), 12. *oneratum.* Pal. 1. *honeratum.* Mod. Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. *honoratum.* Quod vero Memphin, quam statim post *urbem* vocat, hic *oppidum* Curtius dicit, id more tum suo tum aliorum scriptorum facit. sic 3, 11 (4), 14. Tarson, 4, 7 (2), 2. Tyron, 5, 20 (6), 2. Persepolin modo urbes, modo oppida appellat. cf. 4, 23 (5), 17. 4, 26 (6), 9. 4, 28 (6), 22. 5, 3 (1), 23. 7, 23 (5), 31. 32. 8, 34 (10), 6. 9, 3 (1), 17. Liv. 1, 1. coll. c. 1, 3. Ad unum locum autem Aegyptios concurrisse, mihi quidem quam maxime verisimile est. neque enim huic rei obstat, quod etiam in aliis Aegypti urbibus praesidia Persarum fuerunt. haec delevissent fortasse postea, nisi Amyntas ipse ante deletus esset. iam vero ad Amyntam se applicabant, cuius fama sollicitati erant. Denique quamquam plurali numero *praesidia* dixit, tamen de una urbe Memphi agit. Sic de Tyro expugnata dicit 4, 19 (4), 15. *Sidonii, qui intra Macedonum praesidia erant.* Neque *ad* praepositio, diversa significatione bis posita offendere debet, quum saepe similia reperiantur. Liv. 1, 31. *nulla tamen ab armis quies dabatur a bellicoso rege.*

4, 44 (11), 11. *ingentem pecuniam potuisse redigi ex his, qui multi vincti virorum fortium occuparent manus.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quod multis displicuit, *multi*, id abs te defenditur, neque tamen tua defensio mihi satisfacit. Livii enim verba, quae affers, *boum, quos domitos indomitosque multos — agebat*, non eiusdem sunt generis. in his enim *quos* idem est, atque *quorum*, et haec ratio dicendi sane non adeo rara vocari potest. h. l. vero non licet *qui* cum genitivo, qui partitivus a grammaticis vocatur, commutare. *multi* enim hanc significationem habet: *quum multi essent.* quum vero etiam *vincti* eodem modo explicandum sit *(quum vincti essent)*, non possunt illa sine vinculo deinceps collocari. Deinde etiam *multi* non apte sequentibus verbis respondet; nam quia multi erant, multorum fortium virorum occupabant manus. hoc igitur additamento, si *multi* retineretur, opus esset. Hanc ob caussam *multi* in *nunc* mutandum, quod quam praeclare in hunc locum conveniat, ipse quodammodo docuisti. Opponit enim Parmenio id, quod olim suaserit, ei, quod nunc sit, quum sibi non sit obtemperatum. hunc autem usum vocis aperuisti ad **4, 56, 15. 3, 9, 5.** Iam repetitur quidem in sequentibus statim idem vocabulum, sed neminem profecto offendet eiusmodi repetitio, nisi qui Curtium, vel omnino scriptores Latinos non noverit.

4, 45 (12), 7. *Pedites his plurium gentium non immixtos, sed suae quisque nationis iunxerat copias.*

Recte quidem Zumptius *iunxerat* pro vulgato antea *iunxerant* posuit, neque tamen omnia iam sic emendata sunt. Subiectum enunciationis est *Dareus*, ut et similia multa exempla et prima statim verba *pedites his plurium gentium* demonstrant. quod si verum est, ut est, consequitur necessario, *quisque* vitiosum esse. neque enim nominativus potest esse, neque dativus (pro *quibusque)*, ut non modo grammatica, sed etiam sententia ipsa docet. Narrat Curtius, pedites non ita collocatos fuisse, ut plures nationes permixtae essent, sed singulae separatim consisterent, quae multorum et populorum et ducum consuetudo fuit. Tacit. hist. **4, 23.** *Batavi Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quaeque gens consistunt, eminus lacessentes.* Caes. b. Gall. **1, 51.** *Germani suas copias castris eduxerunt generatimque constituerunt.* Curt. **5, 7 (2), 6.** *nam quum ante equites in suam quisque gentem describerentur.* Quare *quisque* in *quasque* mutandum et sic scribendum: *Pedites his plurium gentium non immixtas sed suae quasque nationis* (h. e. *separatim collocatas] iunxerat copias.* Constructio haec est: *iunxerat his copias — (ut) pedites*, ut **3, 23 (9), 4.** *et (ut) pedestris acies quadraginta milia sequebantur.* Tac. ann. **12, 29.** *ipsi manus propria pedites.* In Bong. Flor. Leid. Mod. scriptum quidem est *immixtos*, in Voss. **2.** *mixtos*, sed *os* et *as* saepe inter se commutantur,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ut 4, 61 (16), 11. *ignotas* — *ignotos*, et vulgaris olim h. l. lectio fuit *mixtas*. Vitium autem inde manasse videtur, quod *copias*, ut in P., omissum erat. sic librarii participium ad *pedites* retulerunt.

5, 24 (8), 3. Quod olim iam coniecisti, *fidelitate* pro vulgato *fide*, quum in D. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. Mer. Ald. *fideliter*, in Voss. 2. *fidelium* scriptum sit, id nunc tibi, ut spero, certissimum videbitur esse. Sic 5, 7 (2), 6. *utilitate* male olim mutatum fuit in *utiliter*.

5, 31 (11), 8. Revertimur ad Patronem, Graecum fidelissimum, qui, moniturus Darium, *Bessus*, inquit, *et Nabarzanes insidiantur tibi, in ultimo discrimine et fortunae tuae et vitae,* Facillima mutatione hunc locum emendandum puto, quem iam plurimis editoribus varia coniectantibus displicuisse video. Et recte displicuit, nam cur tandem narrat Dario Patron, Bessum et Nabarzanem in summo fortunae vitaeque discrimine ei insidiari. poterat regi, ut sibi caveret ab inimicis, insidias et periculum, in quo versaretur, ostendere, neque vero miserae omnino conditionis, in qua esset, eum admonere. Ex vulgari autem scriptura sic cum rege colloquitur: Bessus et Narbazanes insidiantur tibi, et tamen satis iam miser es, quum in summo fortunae et vitae discrimine verseris. Hoc nemo tolerare poterit, nisi qui statuerit, Patronem ut fidelissimum, ita etiam simplicissimum hominem fuisse. Ergo scribendum potius: *Bessus et Nabarzanes insidiantur tibi. in ultimo discrimine et fortunae tuae et vita.* breviores iam sententiae quam accommodatae rei conditioni sint, sponte patebit. *Fortunae* h. l. non *bona, pecuniam*, sed, ut saepius, *felicitatem*, *fortunam* significat. Cic. Sull. 23. *et secundas fortunas amittere coactus est et in adversis sine ullo remedio remanere.* Verr. IV. 37. *me oportebit laetari P. Africani eiusmodi esse fortunas mortui.* epist. fam. 4, 9. *tuum est consulere temporibus et incolumitati et vitae et fortunis tuis.* Litterae *a* et *ae* saepe inter se commutantur, ut 5, 33 (12), 9 et 3, 23 (9), 4. *custodia* — *custodiae.* 3, 29 (11), 24. *corrupta* — *corruptae.*

6, 25 (6), 1. *Iam nonum diem stativa erant, quum externa vi non tutus modo rex, sed invictus, intestino facinore petebatur.*

Praeclare ostendisti, *tutus* melius quidem esse, quam, quod olim vulgatum erat, *interritus*, neque tamen prorsus placere posse. Et profecto non respondent sibi *tutus* et *invictus*, praesertim sic collocata. melius certe erat scribere: *non invictus modo rex, sed tutus.* nam plus sine dubio is consequutus est, qui ita hostes oppressit et fregit, ut iam tutus ab iis sit, quam qui nunquam victus ab iis est. Quod tu coniecisti, *intactus,*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

id aptissimum quidem, sed vide tamen, an melius etiam sit *intritus* h. e. *non fractus, non obtritus.* Rarum quidem hac significatione vocabulum, at optimum tamen et ab ipso Caesare b. G. 3, 26. usurpatum, quamquam in vulgatis olim editionibus etiam illic *integrae*, non *intritae* scriptum erat, donec Gronovius ad Liv. 22, 39 (III. p. 628. Drak.) hoc restituendum e codicibus esse docuit: quidem quorum codicum nonnulli *interritae* habent. Sic plane Pal. 1. Bong. Grut. Voss. 2. *interritus.* Pal. 3. *teritus.* Mer. Ald. *territus.* Aptissimam iam esse gradationem, facile est intellectu, nam plus sine dubio est invictum esse, quam non fractum viribus et plane obtritum. Quam frequens autem in re militari *obterere* apud Curtium et Livium sit, ad 3, 5 (2), 10. ostendisti.

6, 32 (9), 2. *praecipuus, imo unus vitae meae fructus est.*

Facilius mihi tamen videtur scribere *spes*, quam *supremus*, praesertim quum etiam 6, 32 (9), 2. *spes* et *spiritus* in codicibus inter se commutata sint. Ex Heusingeri ratione, quam tu sequeris, *supremus* et *unus* sibi opponuntur, ex mea contra *spes* (vitae) et *unus* (vitae) *fructus.* Iam ad *fructus* quidem *unus* appositum est, spes autem additamento caret, similiter tamen 7, 23 (5), 35. *Quae si in ipsos proditionis auctores excogitata essent, iusta ultio esse, non crudelitas videretur.*

6, 37 (10), 9. *Dimnus sane et viveret adhuc et velut mihi parceret. quid ceteri? qui de se confitebuntur, me videlicet subtrahent.*

Quam olim proposui huius loci explicandi rationem, ea nec illo tempore mihi placebat neque nunc mihi probatur, sed non habebam meliora. Iam vero video, haec, nisi paullum certe mutentur, explicari nullo modo posse. Videamus primum, codices quo ducant. Quod Zumptius recepit, *viveret*, id quam maxime codicum auctoritate firmatur. quippe reperitur illud in Mer. Mod. Grut. (praeter P. 3.) Bong. Flor. Leid. Voss. 1. 2. Maior dubitatio est, siquidem codices respicimus, *vellet* an *velut* an *velit* scribendum sit. *vellet* in uno quidem P. est, sed *velut*, quod in Mer. D. Bong. Pal. 1. Flor. Leid. Voss. 1. reperitur, aeque ex *vellet* atque ex *velit* ortum esse potest. Pro vulgato *parcere* in Mer. F. Leid. *parceret* scriptum est, in Voss. 2. et fortasse etiam in P. *parcerent*, in Voss. 1. B. 2. *parceri.* itaque quum viderimus supra, quam saepe *t* ad infinitivos male addatur, nihil sane obstat, quo minus, siquidem sententiae ratio id postulare videatur, *parcere* scribamus. Sententia autem, quae esse debeat, ex his quasi signis quibusdam facile poterit cognosci. *sane* enim, ut ad 5, 1, 6. praeclare docuisti, *concedentis, permittentis, impedire nolentis* est. itaque, quum sine dubio Dimnus et ceteri coniurati sibi opponantur, de Dimno Philotas concedit, quod de ceteris

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

coniuratis negat. iam quum ceteros coniuratos neget sibi parcere velle, idem de Dimno concesserit.

Ex his consequitur, *vivat* et *velit* ferri non posse. quomodo enim concedere Philotas potest, revera Dimnum sibi parcere velle, quum se ipse ille iam occiderit. coniunctivus praesentis enim sic usurpatur, ut concedatur id, quod revera est aut certe fieri potest: ut **7, 34** (8), **21.** *ut maior fortiorque sis.* **9, 16** (4), **18.** *quos ut omnes fundant fugentque.*

Non minus falsum est *viveret*, nisi quid addatur. coniunctivus imperfecti enim, si conditionalis non est, aut ironice usurpatur, — ut **6, 33** (9), **10.** *iste regis periculo commoveretur, vultum mutaret.* **7, 4** (1), **29.** *aversaremur scilicet,* — aut adhortantis est, — ut **3, 19** (8), **2.** *divideret saltem copias innumerabiles neu sub unum fortunae ictum totas vires regni cadere pateretur,* — aut denique concedentis et permittentis, ut **5, 1, 6.** *occuparet sane gazam (immerhin);* quomodo autem concedere vel permittere Dimno interfecto potest, ut vivat? Tu vero, Mützelli, ponere dicis Philotam, Dimnum vivere, coniunctivo imperfecti autem significare, id, quod ponat, non esse. hanc tamen significationem coniunctivus imperfecti, nisi *ut* addatur, — ut **3, 12** (5), **7.** *Iam, ut ad Hellespontum fuga penetrarent, classem, qua transeant, quem praeparaturum?* — nunquam habet. Ex his consequitur, falsam haud dubie esse Zumptii scripturam *Dimnus sane et viveret adhuc et velut mihi parceret.* nam ponere quidem interdum possumus, quae fieri non possunt, ut inepti aliquid inde consequi doceamus, concedere autem et permittere, siquidem sana mente praediti sumus, non possumus. Iam vero supra dixi, concedere Philotam, Dimnum sibi parcere velle. qua tandem ratione, inquies, facere hoc poterat? Non alia profecto, nisi ut conditionem adderet, sub qua futurum esset, ut Dimnus parceret. Itaque sic scribendum esse iudico: *Dimnus sane, si viveret adhuc, ut vellet mihi parcere: quid ceteri?*

7, 19 (4), **34.** *Non tulit ferociam barbari ducis Erigyius.*

Vidimus, in emendandis locis Curtianis non temere a codicibus recedendum esse, quum aliqua plerumque illi litterarum vestigia retineant. itaque paullo audacius Zumptius in supra positis verbis emendandis versatus est. codices enim et vetustissimae editiones habent *dux illius exercitus.* Neque mihi placet *barbari ducis,* quum et infra semper *barbarus,* non *barbarus dux* nominetur, et fortius videatur *ferociam barbari,* quam *ferociam barbari ducis.* Iam primum nomen Erigyii, quum duo essent Macedonum duces, necessarium est. itaque lacuna statuenda et post *exercitus* ponendum *Erigyius.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deinde *illius* mutandum in *hostilis*, ut **7**, **38** (**9**), **19**. recte Zumptius *virili* pro vulgato *illi* posuit. Sic igitur scribo: *Non tulit ferociam barbari dux hostilis exercitus Erigyius.* Quod autem hostilis exercitus Macedonum vocatur, mirum esse non debet, quum saepissime Curtius Macedones, quando de barbaris narrat, hostes appellet: ut **3**, **26** (**11**), **1**. *Persarum equites ferociter in laevum cornu hostium invecti sunt.* **4**, **27** (**6**), **7**. *Quippe Dareus curru sublimis eminebat et suis ad se tuendum, et hostibus ad incessendum ingens incitamentum.* **4**, **35** (**9**), **4**. *ingensque, ut crediderat (Dareus) hostium terror.* **4**, **53** (**14**), **8**. *Dareus — contempserat paucitatem hostis.* cf. **3**, **9** (**4**), **5**. **4**, **52** (**14**), **2**. — *hostilis* (pro *hostium*) *exercitus* reperitur ap. Tac. hist. **3**, **82**. sic *hostilis acies* ibid. **3**, **21**. *hostiles turmae* Tac. ann. **15**, **9**. *hostilia arma* Curt. **3**, **13** (**5**), **11**. *hostilia spolia* Liv. **29**, **35**. Sueton. Claud. **17**. Ner. **38**. *hostiles sagittae* Sueton. Caes. **68**.

7, **19** (**4**), **40**. *cui Erigyius barbari caput, opimum belli decus, praeferens occurrit.*

Zumptii coniectura tum ob rem ipsam tum ob codicum scripturam reiicienda mihi videtur. Neque enim verisimile est, Erigyium, nobilem Macedonum ducem, senem gravem aetate, abscisum barbari caput tamdiu secum tulisse, donec Alexandro occurreret. Sunt profecto interdum capita hostium vel inimicorum regi lata vel missa vel ante pedes posita, ut **4**, **38** (**6**), **25**. *(Aristo) ex equo praecipitavit et obluctanti caput gladio dempsit, quod relatum magna cum laude ante regis pedes posuit.* **7**, **9** (**2**), **33**. *ad regem caput (Parmenionis) missum est.* — **8**, **11** (**3**), **13**. Spitamenis uxor caput mariti ad regem fert. — **8**, **41** (**12**), **3**. *Indi — Ericem fugientem adorti interemerunt caputque eius atque arma ad Alexandrum detulerunt.* Nusquam tamen eius feritatis, quae Erigyio tribuitur, simile exemplum inveni. Sed ferenda lectio esset, si in codicibus inveniretur. iam vero *spolia*, quod Zumptius eiecit, in paucis tantum codicibus — Bong. D. Voss. **2**. Parr. — omissum est, quod quam exiguam vim habeat ad infirmandam vocis fidem, nunc, ut spero, unusquisque perspiciet. *spolia* autem si retinetur, *caput* servari non potest, quod quidem per se ipsum satis infirmum est. Vocem enim, post *barbari* positam, manifestum est a librariis non potuisse legi, itaque vestigia eius tantummodo reliqua sunt haec: in D. Bong. Voss. **1**. Flor. Leid. Parr. *ci.* in Voss. **2**. *ce ceu.* in Mer. Ald. *ca ceu*, unde Modius *ceu* scripsit, quod ante Zumptium editores retinuerunt. Sed haec vox apud prosae orationis scriptores tam rara est, ut mihi quidem, etiamsi apta illa h. l. esset, tamen non videretur coniectura in librum Curtii inferenda esse, apud quem nusquam reperitur, praesertim quum ne apud Livium quidem inveniatur. Hand. Turs. II. p. **46**. Verum ne apta quidem h. l. est, nam quo-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

modo tandem spolia cum opimo decore comparari possunt, quum illa ipsa opimum decus sint? 3, 27 (11), 7. *opimum decus (h. e. spolia) caeso rege expetens.* Itaque Handius Turs. II. p. 48. ne tacite quidem ineptum illud *ceu* h. l. probare debebat, praesertim quum eo loco Curtianum exemplum commemorarit, quasi *ceu* idem significaret, quod *quasi esset*, quod ab h. l. plane alienum est. Quae quum ita sint, ego quidem coniicio scribendum esse: *cui Erigyius spolia barbari caesi, opimum belli decus, praeferens occurrit.* Similiter expressa haec sunt: 4, 58 (15), 25. *quippe sibi quisque caesi regis expetebat decus.* 7, 22 (5), 25. *quam e spoliis occisi regis induerat.* Liv. 1, 10. *spolia ducis hostium caesi.* ibid. *sedem opimis spoliis, quae regibus ducibusque caesis — posteri ferent.* Liv. 4, 20. *spolia opima regis interfecti gerens.* Ceterum etiam h. l. Voss. 2. verae scripturae vestigia, *ceceu*, optime servavit, nam *ec* = *a*, *u* = *si*. Sic tu 6, 23 (6), 28. *iam* praeclare mutasti in *casu*. et 3, 29 (11), 27. in Leid. *c.* pro *caesa* scriptum est.

8, 29 (8), 20. *Post haec consilium dimisit tradique damnatos hominibus, qui ex eadem cohorte erant, iussit.*

Nemo dubitabit, quin mendosum sit *hominibus*, sed inani opera editores de emendando illo se torserunt. Sunt autem h. l., ut saepe alias, post unius syllabae omissionem, duo verba in unum collecta: scribendum enim *ho[rum] manibus. horum, qui* more Curtii dictum: 4, 12 (3), 4. *hi, qui in turribus erant.* 4, 21 (5), 7. *his, qui litteras attulerant.* 4, 30 (7), 9. *cum his, quos ducere secum statuerat.* Et innumerabilibus locis Zumptius (vid. praef. p. XXII.) codices sequutus *hi* et *his* pro *ii* et *iis* scripsit.

10, 19 (6), 5. *anulum, quo ille (Alexander) regni atque imperii vires obsignare erat solitus.*

Scripsisti quidem in editione minore, me *vices* coniecisse, neque tamen, quid ipse statuas, significasti. Mihi quidem ut facillima, ita maxime necessaria coniectura visa est. Vires regni atque imperii vel publicae eaedem sunt, quae apud Tacitum opes publicae vocantur: quae quid complectantur, optime exposuit ann. 1, 11. *opes publicae continebantur (libello ab Augusto composito). quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones.* eaedem fere apud Curtium vires publicae, etsi plerumque copiae militum significantur. 3, 19 (8), 2. *si id consilium damnaret (Dareus), at ille divideret saltem copias innumerabiles, neu sub unum fortunae ictum totas vires regni cadere pateretur.* 7, 11 (3), 4. *Sex milia Macedonum erant et CC nobiles et quinque*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

milia Graecorum cum equitibus DC, haud dubie robur omnium virium regis. **7, 15 (4), 2.** *graves mero suas vires extollere, hostium nunc temeritatem nunc paucitatem spernere incipiunt.* **8, 42 (12), 9.** *barbarus occurrisse se dixit cum exercitu, totas imperii vires protinus traditurum.* **9, 7 (2), 6.** *Ille, vires quidem gentis (h. e. magnum militum numerum, quadrigas, elephantos.* cf. **3. 4.**) *et regni haud falso iactari affirmat.* cf. **5, 28 (10), 4. 10, 16 (5), 12. 10, 23 (7), 15.** Iam quis, quaeso, has vires publicas anulo obsignare potuerit? Obsignantur quidem apud Tacitum utensilia, sed eadem ratione non possunt vires publicae obsignari. Dubium non est, quin de Alexandri iussis et mandatis agatur; quae, quum obsignando rata fierent et eventum haberent, obsignari apte dicuntur etiam ea, quae iussis illis et mandatis constituebantur. Sic verba *vices regni atque imperii obsignari* optime explicari possunt.

Quamquam saepissime aliter in aliis codicibus collocata verba sunt, ita ut de ordine eorum difficilis interdum quaestio oriatur, rarius tamen integrae sententiae vel plura verba alieno loco posita sunt. Itaque etiam in emendando Curtii libro haec ratio transponendorum in alium locum verborum admodum caute usurpanda est. Unum tamen locum afferam, quem hoc modo vitio liberandum esse puto.

7, 10 (2), 37. *Et qui forte taedium laboris per litteras erant questi, hanc seorsus cohortem a ceteris tendere ignominiae caussa iubet, fortitudine usurus in bello, libertatem linguae ab auribus credulis remoturus.*

Haec praeclare quidem, Mützelli, ostendisti neque cum proxime antecedentibus neque cum sequentibus coniungi posse: quod autem ideo lacunam post *questi* statuendam esse dicis, non habes me assentientem. Quid enim desit vel putari possit excidisse, ego plane non perspicio. Nihil autem in omni critica magis lubricum et periculosum duco, quam statuere lacunas, quae quomodo explendae sint exputari nequit. Itaque vide, an potius haec verba, de quibus agitur, supra post *invisos* ponenda sint: *fere iidem erant, quos alioquin rex habuerat invisos, et qui forte taedium laboris per litteras erant questi.* Sic omnes sublatae sunt difficultates. addit statim caussam Curtius, cur iidem alioquin regi invisi fuerint milites, deinde, ut rem ipsam, quomodo evenerit, explicet, narrationem de litteris interponit, postremo ad hanc cohortem, de qua exorsus erat dicere, redit.

Exposui tibi, Mützelli, quam rationem ego in emendando Curtii libro sequendam esse censeam. quae si tibi probabitur, praecipuum operae meae fructum tulisse mihi videbor. Cura ut valeas.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Kalendae Novembres, quo die iam non modo, ut olim, religionis per Lutherum ad pristinam simplicitatem restitutae, sed simul etiam dedicati Josephini laetissimam memoriam recolimus, etiam hoc anno solito more concelebrabuntur. Prodibunt enim, verba facturi, electi e prima classe discipuli hi quattuor:

Henricus Felix Klötzner, Isebergensis, oratione Latina de veterum Graecorum et Romanorum in patriam amore disseret.

Joannes Back, Altenburgensis, oratione Germanica ostendere conabitur, quae sapiens agendi ratio sit adversus eos, qui in religione diversas sequantur vias.

Albertus Schneider, Altenburgensis, Ulricum Huttenum celebrabit elegia Latina, quae ad sepulcrum eius cani fingitur.

Ernestus Victor Schellenberg, Isebergensis, carmine Germanico mortem Conradini Suevi enarrabit.

Vos autem, CIVITATIS HUIUSQUE URBIS PROCERES NOBILISSIMI, ILLUSTRISSIMI, CURATORES ATQUE INSPECTORES GYMNASII SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI, VOSQUE CETERI LITTERARUM SCHOLARUMQUE PATRONI AC FAUTORES OMNIUM ORDINUM ORNATISSIMI, rogo ego iam atque oro, ut, qua estis humanitate, his adolescentibus primum dicendi periculum facturis praesentia vestra gloriae admoveatis stimulos, quibus ad hanc, quam ingressi sunt, laudis viam etiam in futurum persequendam incitentur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Kalendae Novembres, quo d per Lu-
therum ad pristinam simplicit edicati
Josephini laetissimam memoriam rec lebrabun-
tur. Prodibunt enim, verba facturi, el
Henricus Felix Klötzne eterum
Graecorum et Roman
Joannes Back, Altenburgen ur, quae
sapiens agendi ratio one di-
versas sequantur via
Albertus Schneider, Alte rabit ele-
gia Latina, quae ad sepul
Ernestus Victor Schelle co mor-
tem Conradini Suevi

Vos autem, CIVITATIS HUIU MI, IL-
LUSTRISSIMI, CURATORES AT ME RE-
VERENDI, AMPLISSIMI, VOSQU RUMQUE
PATRONI AC FAUTORES OMNIU o iam at-
que oro, ut, qua estis humanitate, h m facturis
praesentia vestra gloriae admoveatis s sunt, lau-
dis viam etiam in futurum persequen

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Index locorum in epistola emendatorum.

3, 6 (3), 5. p. 13.
3, 27 (11), 15. p. 14.
3, 28 (11), 23. p. 29.
3, 33 (13), 3. p. 15.
3, 35 (13), 17. p. 29.
4, 1, 5. p. 16.
4, 5 (1), 30. p. 38.
4, 5 (1), 31. p. 30.
4, 13 (3), 12. p. 31.
4, 23 (5), 13. p. 12.
4, 32 (7), 29. p. 31.
4, 34 (8), 11. p. 17.
4, 44 (11), 11. p. 38.
4, 45 (12), 7. p. 39.
5, 6 (1), 45. p. 32.
5, 24 (8), 3. p. 40.
5, 27 (9), 10. p. 33.
5, 31 (11), 7. p. 34.
5, 31 (11), 8. p. 40.
6, 3 (1), 20. p. 17.
6, 25 (7), 1. p. 40.
6, 32 (9), 2. p. 41.
6, 37 (10), 9. p. 41.
6, 39 (10), 28. p. 21.
6, 41 (11), 5. p. 22.
6, 42 (11), 20. p. 36.
6, 43 (11), 33. p. 34.
7, 3 (1), 29. p. 23.
7, 10 (2), 37. p. 45
7, 19 (4), 34. p. 42.
7, 19 (4), 40. p. 43.
7, 26 (6), 14. p. 25.
7, 37 (9), 14. p. 35.
7, 39 (10), 8. p. 37.
8, 14 (4), 2. p. 25.
8, 29 (8), 20. p. 44.
8, 30 (9), 13. p. 25.
9, 34 (9), 1. p. 35.
10, 1, 1. p. 36.
10, 2 (1), 11. p. 26.
10, 5 (1), 42. p. 26.
10, 7 (2), 6. 7. p. 27.
10, 19 (6), 5. p. 44.
10, 22 (7), 5. p. 29.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf